50 cent

P. ANTONII
BARTOSZEWICZ
E SOCIETATE JESU

In Academia et Universitate Vilnensi publici Eloquentiæ Professoris AA. LL. et Philosophiæ Doctoris

ORATIONES
QUATUOR

ex quibus duae
De Causis exigui progressus in literis antequam studia repeterentur
[redacted] duae verò [redacted]
De Beata CATHARINA Virgine
[redacted] ejus festo die [redacted]
Ad Senatum cæterosqué Academicos
publicè ab eodem habitæ. 1767
[redacted]

VILNÆ
Typis S.R.M. Acad: Soc: JESU
Annô MDCCLIX.

Coll. Soc: Mohil: Jesu.

Perilluſtri
ac Reverendiſſimo Domino
THOMÆ JOSEPHO
KORSAK
Canonico Cathedrali Vilnenſi
Eccleſiæ Eyſzyſcenſis et
Sacel: Nom: Mariæ
Præpoſito.

P. Antonius Bartoſzewicz
è Societate JESU.

E*Go te, Ampliſſime ac Præſtantiſſime Vir, minimè fugere ſcio, quàm magni referat unum quemquè hominem*

gravioribus Reipublicæ aut Ecclesiæ implicatum curis, quo quidqué tempore agat, cogitationem huc intendere suam; atque ab illa mole agendarum rerum Musis ac literis partem horarum aliquam subtrahere. Hinc enim nascitur vera illa jucunditas et laus, quam consequi dicuntur ii, qui permolesta negotia actionesquè suas ita temperant amænitate quadam literarum; ut et ab illis, sæpè, quasi in portum aliquem delati, in literis conquiescant: et ab his adjumenta sibi sumant, atque ad agendum præsidia. Quorum alterum jucunda delectatio: alterum rectefactorum glo-

gloria et laus comitari ſolet. Atque illud omninò fuit, quod præſtantiſſimos quoſqué ac celeberrimos Viros ad hæc ſtudia bonarum artium ita exacuebat; ut licet difficillimis graviſſimiſquê eſſent domi militiæque negotiis impediti; caſtra tamen Muſarum nunquam deſererent. Nam et Alexandrum inter clypeos et haſtas Homerum circumtuliſſe ſecum: et Catonem in ipſa quoque curia Græcos libros lectitâſſe: et Scipionem Affricanum nunquam è manibus Democraticum Xenophontem dimiſiſſe accepimus. Cujus generis exempla etſi plura apud veteres exſtent; ne tamen id, quod

ante oculos verſatur, aliunde quæram: permitte Vir Ampliſſime, ut à te ſumam, et ſine me obtinere à modeſtia tua, ut ea de te, non quæ ſentio, ſed quæ hiſce oculis video, liberè dicam. Tu enim in hoc dignitatis Eccleſiaſticæ gradu, in quo te generis ſplendor, virtus, et ſingularis eruditio collocavit, licet iis occupationibus tum publicis, tum privatis diſtrictus ſis, quæ quàm ſunt per ſe honeſtæ, tam graves plerumque ac laborioſæ; tamen tractatione literarum delectaris ita, ut à graviſſimis curis ad monumenta ſriptorum, tanquam in amæniſſimos Muſarum hortos ſæpiſſimè exſpatieris. Ex quo conſe-

conſequitur, ut, cùm de iis rebus, quæ ad literas referuntur, ſermonem inſtituis, nihil colloquiis ſermonibuſqué tuis aut dulcius ſit, aut eruditius. Quoties ego te audivi ex optimis ſcriptoribus rerum geſtarum ita multa in medium proferentem, ut non ſatis conſtituere poſſem: magiſné legendi ſtudiô, an memoriâ præſtes. Itaque cùm et ea legas, et de his ſæpiſſimé ac cum voluptate loquaris, quæ ſapientes Viri de præclarè factis aliorum ad memoriam poſteritatis ſcripſerunt; hæc agas quoque neceſſe eſt, quæ ſcripta poſteri cum admiratione legant. Atque enimverò legent. Quo-

tus

tus enim quiſque eorum, qui aut tuæ naturæ bonitatem, ſuaviſſimoſqué mores, et, quemadmodum Pöëtæ loquuntur, aureos vel ſemel guſtaverunt: aut publicè ad populum verba te viderunt è ſuggeſtu facientem: aut tuam illam in agendis rebus induſtriam, in obeundis Eccleſiaſticis muniis vigilantiam et curam experti ſunt; non te maximis laudibus efferat, neque omnium vocibus ſcriptiſqué continuò decorari cupiat? Quid? cùm ad Tribunal M. D. L. et ad utrumque forum ſacrum ſimul ac civile quinquies deſtinatus Judex, nihil feciſti, quod non æquitatis ac

fidei

fidei omnibus norma atque exemplum esset: an id ego ad conciliandam sempiternam gloriam, nomenqué tuum immortalitati donandum parùm referri putem? Celebrabuntur hæc profectò literis eorum, qui te isthæc agentem summa tua cum laude, atque omnium admiratione viderunt: verùm ego illum literarum amorem, et in artes ingenuas propensionem, ex quibus cætera illa superiora, quasi ex fonte quodam manare solent, tanti semper faciam, quanti facere debeo, tum propter hæc ipsa literarum studia, quibus ego ab ineunte ætate deditus eram;

tum

tum propter ſingularem tuam benevolentiam, et graviſſimum teſtimonium, quô me ſuperiore anno exornâſti. Cùm enim ei Orationi, quam de cauſis exigui multorum adoleſcentum in literis progreſſus initiô ſtudiorum publicè habui, tu quoque pro inſigni humanitate tua intereſſes, ac vidiſſes in ea neſcio quid, quod, ſi ederetur in publicum, non modò id tibi jucundum; verùm aliis quoque non inutile, neque omnino eſſet ingratum; continuò non oratione ſolùm, ſed et ære urgebas, ut emitteretur in lucem. Verùm ego, qui partim argumentum iſtud me non·

dum

dum ex integro absolvisse scirem; partim occasionem exspectarem huic honestissimæ voluntati obsequendi tuæ, rem usque eò distuli, dum et alterum pro mediocritate ingenii mei jam perfecerim; et commodè sim alterum nactus. Nam quo tempore nobilissimi optimæque indolis Adolescentes affines tui unà cum aliis eloquentiæ studiosis publicum specimen progressûs in literis sui daturi sunt, ac præmiis solitis afficiendi; eodem ego hasce orationes aliquot, quæ singulare ac perenne essent grati erga Te animi mei documentum, Tibi offer-

fer-

ferre decrevi, hac obteſtatione ac ſpe ſola; ut, cùm ea plerumque, quæ audita placebant, ſcripta lectaque derideri ſoleant: tu tamen monumentum iſtud ſingularis obſervantiæ in te meæ eodem animo accipias relegaſque, quô me dicentem excepiſti. Id ſi feceris, quod minimè dubito, quin pro tua incredibili bonitate facias; ingentes profectò ſtimulos mihi quoſdam adhibebis partim ad edenda ea, quæ à me aut ſcripta, aut aliquando dicta ſunt; partim ad edolanda alia, in quibus non omittam certè, quantum tibi, quantum tuæ munifi-

centiæ debeam, quàm honorificentiſſimè potero, prædicare; atque illud omnibus quà oratione, quà ſcriptis patefacere: Te mihi primum Mæcenatem, ac Patronum benigniſſimum in his ſtudiis extitiſſe.

F 44

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

CUm Orationes aliquot à P. Antonio Bartoszewicz nostræ Societatis Sacerdote, in Academia Vilnensi habitas, designati à nobis Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; potestate nobis facta ab A. R. P. Nostro LAURENTIO RICCI Præposito Generali, facultatem concedimus, ut Typîs mandentur. In cujus fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloqué officii nostri munitas dedimus. Vilnæ ad S. Raphaëlem. die 28. Januarii. Annô 1759.

JOSEPHUS OBRĄPALSKI
Societatis JESU
Præpositus Provincialis
Provinciæ Litvanæ.

(L.S.)

DE
CAUSIS
exigui progreſſus
in literis
ORATIONES
DUAE
ante
ſtudiorum inſtaurationem.

Quæ in pueris elucet ſpes plurimorum, cùm emoritur ætate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe, ſed curam.

Quintil: lib: 1. cap: 1.

In ſtudiorum repetitione

ORATIO I.

Habita Kalend: Septembr: Annô

MDCCLVII.

Cur pleriquê Adoleſcentes, bonæ licet indolis, minùs tamen in literarum ſtudiis proficiant.

CRedo ego, pleroſque veſtrûm, Viri Ornatiſſimi, ſæpe mirari, quonam infelici fato eveniat, ut,tametſi ad hæc ſtudia literarum, quæ poſt ſolemnes

ferias, DEO bene favente, hodierno die auſpicamur, tot nobiliſſimi Adoleſcentes indole, memoriâ, & pulcherrimô ingeniô præditi accedant: pauci tamen ex iis, aut nulli exoriantur, qui tales in optimarum artium ſtudiis progreſſus faciant, quales veteres docendi Magiſtros de diſcipulis exegiſſe conſtat; ut ne dicam univerſum illum ſcientiarum circulum comprehendere; ſed unam, alteramvé diſciplinam complecti, atque in ea ſe præſtare glorientur. Quæ quidem communis his temporibus calamitas quibus de cauſis oriatur, non una omnium eſt eademqué opinio.

Si-

Sive id, nonnulli dictitant, docendi, diſcendiqué ratio efficit temporibûs recepta noſtrîs; cùm illa tantis undiqué inanium præceptorum circumfuſa tenebris, tamqué ab intelligentia, ſenſuqué puerulorum ſit disjuncta; ut miſeri Adoleſcentes ætatem illam, quam in gravioribus diſciplinis opportuniùs, utiliuſqué collocâſſent: in Grammatices nugis, atqué apinis inaniter terere cogantur. Sive cauſam totam hujuſce damni eſſe optimorum Magiſtrorum inopiam, plerique contendunt: nimirùm hoc ævo ſcholarum quidem maximam eſſe frequentiam, Præceptorum

autem, navorumqué Pædago-
gorum paucitatem minimam.
Inveterâsse in scholis id ma-
lum ajunt: literas, optimasqué
artes ab iis edoceri, qui ag-
grediuntur monstrare aliis,
quæ nesciant, & ea docere,
quæ ipsi crudi & elingues i-
gnorent. Sive demum, quod
ad nostra Polonorum studia
attinet, nonnulli exterorum
hominum; prout non ita pri-
dem factum audiîstis; cùm in-
dolem nostram talem sibi a-
nimo & cogitatione depin-
gant; ut ab ea credant lite-
ras suâpte naturâ abhorrere:
totam hanc pestem in ingenia
conferunt, vel cæli, àérisqué
crassitie, vel alia quavis re-

gio-

gionis labe vitiata; nosqué aut cum Bæotiis, aut Thracibus comparant, quos multum virium, ingenii minimum habuisse legimus. Quæ profectò causæ si tam veræ essent, quàm crebrò à plerisqué assignari solent; equidem eorum opinioni concederem, Auditores, atque hoc argumento, quod ad dicendum mihi sumpsi, supersederem. Verùm, cùm & illa docendi ratio, quam in hac quoqué Universitate bonarum artium domicilio florere videmus, ex Veterum monumentis excerpta, atque ad exemplum aliarum Academiarum satis accomodata sit: & hæc Polo-

norum indoles non modò Nostratium nuper ſcriptis; ſed etiam exterorum hominum eruditiſſimorum teſtimoniô fuerit olim propugnata: ac demùm Magiſtrorum bonorum ea ſit copia; ut illi ſæpiùs querantur ſibi deeſſe bonos Adoleſcentes, quam hi ſibi bonos Magiſtros; quæſo ego obteſtorqué vos, Auditores, ut rem paulò me altiùs repetere patiamini, atque alias vobis veras ſolidaſqué cauſas enarrare: quî fiat, ut plerique hodie Adoleſcentes, tametſi optimæ indolis & ingenii, tamen in literarum ſtudiis minùs proficiant. Quod dùm aggredior, vos etiam illud oro,

at-

atque obſecro; ut iſtam ipſam alacritatem animi, quam cæteris ex hoc loco dicentibus declarare conſueviſtis, mihi apud vos verba facienti præbeatis.

Atque ego quidem cùm ejuſmodi cauſas mecum reputo, ajo: nullam à me repertam ex iis, quæ, ùt dixi, ab aliis afferuntur; ne videar aut nihil habere, quod dicam; aut de eodem eſſe genere hominum, quibus, ſi mentionem facias de exiguo aliquorum Juvenum in literis proceſſu, continuò aut vellicant Præceptores ipſos, aut rationem docendi coarguunt. Quamobrem totum, quod in hoc argumento pro-

feram, neque à Magiſtris, neque à docendi methodo nobis uſitata proficiſci; ſed partim in Parentum, partim in ipſorum Adoleſcentum vitio radicem hujus mali inſitam eſſe dicam; ac nè illud aut leve, aut commentitium fortaſſe cuipiam videatur, non ex ingenio, vel conjectura; ſed ex omnium Præceptorum, ac Magiſtrorum animadverſione, & experientia depromam. Quotuſquiſqué enim eorum, qui in excolendis puerorum ingeniis aut ſunt, aut aliquando occupati fuerunt, ita in hoc curriculo verſatus eſt; ut, cùm ad literas optimaſqué artes acquirendas,

libro-

librorum ſupellectilem; rectam Parentum, & ab ineunte ætate literis accomodatam inſtitutionem: ac poſtremò aſſiduum ſtudium ac diligentiam, ſubſidia eſſe maxima acceperit, non ea potiſſimùm in diſcipulis ſuis deſiderârit; & pleroſqué Adoleſcentes nullis inſtructos libellîs; nimia lenitate à Parentibus depravatos, aut iniquîs de literis imbutos opinionibûs; ac propterea languori deſidiæqué deditos eſſe, non ſæpiſſimè fuerit conqueſtus? Quæ ſingulæ tarditatis in literis cauſæ, etſi tam veræ, tamqué claræ ſint; ut aciem mentis veſtræ nullo modo

effu-

effugere poſſint: tamen hac oratione explicandæ ſunt, ut ſi hæc veritatis lux altera luce orationis fuerit colluſtrata, tum demum facilè quiſqué intelligat, quidquid hoc eſt, in quo aut noſtra docendi ratio reprehendi, aut Præceptores accuſari ſolent, maledictionem hanc potiùs habendam eſſe, quàm accuſationem. Nam primùm, quod ad librorum ſupellectilem attinet: ut ab eis omnem pendere rem literariam; ita ſine his neminem ad aliquem literarum gradum adſpirare poſſe, una omnium eſt, eademqué ſententia. Nam quemadmodum iter no-

ctu facientibus evenit, ut, niſi collucente aliquo ſidere illuſtrentur, conſiſtere neceſſe habeant; ita hominum ingenia, maximis à natura tenebris involuta, niſi aliorum ſcriptis quaſi quibusdam aſtris illuminentur, in hoc artium ingenuarum curriculo nequidquam progredi valent. Quare, cùm veteres illi literarum Parentes dictitarent: ſumptus admodum eſſe lucroſos, qui comparandis libris impenderentur; & inter doctos neminem reponendum judicâſſent, qui libros avidè non conquiſiêrit, aut qui multos haberet, plures non optârit; tantâ illos diligen-

tiâ

tiâ ac ſtudio colligebant; ut nullis impenſis parcerent, quò ſuam quiſque bibliothecam, quantâ poſſet maximâ, librorum copiâ inſtruerent. Quid enim dicam de Platone, aut de Ariſtotele? quorum ille, cùm Philolai Philoſophi libri tres proſtarent venales decem millibus denariorum; pretium id ab amicis corrogavit, & emit: Ariſtoteles, qui intelligentiâ, memoriâqué bibliothecam complexus, judiciô Platonis totus mens erat, pauculos Speuſippi Philoſophi libros emit talentis Atticis tribus, millibûs ſcilicet denariorum duo de viginti. Quodſi hoc lo-

eo miretur quiſpiam veſtrûm tantô olim libros conſtitiſſe; non ego id miror, Auditores, tantam potiùs veterum in cöemendis libris cupiditatem, tantas in pauculos commentarios impenſas demiror. Sed neque id mirandum eſt. Nam cùm experientiâ Magiſtrâ didiciſſent id, quod Plinius ille major dictitabat: nullum eſſe librum tam malum, qui non aliqua parte legenti prodeſſet; nihil erat omninò, quod tam accuratè ac religioſè ſibi conquirendum putarent quàm libros. Ibi omnis eruditionis ſuccum & ſanguinem, ibi nervos & artus, ibi compagem, atque

omni-

omnium ſcientiarum ſemina ſita eſſe intelligebant: ſine his nullam non modò plenam, ſolidamqué; ſed ne inchoatam quidem atque obviam ſcientiæ cujuſpiam cognitionem conſequi poſſe crediderunt. Quod cùm de unaquaque facultate uſu magiſtro compertum eſſe accepimus; tum præſertim de rerum domina & diſciplinarum Principe Eloquentia. Cogitate enim mecum, Auditores, quot, quantaqué hic occurrunt, quorum cognitio non levis ac perfunctoria; ſed plena ac benè ſubacta ad eum neceſſariò pertinet, qui in ejuſmodi diſciplina aſ-

ſequi

ſequi laudem aliquam, & de unaquaqué re in Curia, in foro, in Senatu aptè loqui & ſcribere cupit; quot ſententiæ & teſtimonia, quot veterum ac recentium exempla, quæ copia verborum, quæ elegantia phraſium, quæ fabularum cognitio, quanta hiſtoriarum, rerumqué geſtarum ſeries, quantus deniqué ſacræ profanæqué eruditionis apparatus Rhetori comparandus eſt? quæ ſi quis aut quodam ingenii naturæqué impetu, aut exercitatione ſola, vel uno, alterové libello conſecuturum ſe putet; eum rudem omninò, atqué rerum imperitum omnium jure quiſ-

quam

quam affirmârit. Cûm enim maxima atque omnis fermè Eloquentiæ comparandæ ratio in imitatione illustrium & probatissimorum Oratorum, Scriptorumque sit collocata: hi verò non varietate rerum, sed & nervîs, & copiâ, & filô deniqué ipso Orationis tam diversi inter se dissimilesqué existant, quàm innumeri sunt ac prope infiniti; consectandum est aliquid ab unoquoqué Oratori, colligenda singulorum virtus, observanda vis, illi undiqué Eloquentiæ decerpendi flores; atque ex hoc festivitas, sermonisqué venustas, ex illo phrasis vel sententia,

ex

ex alio vel tersa, facilis, nec studiosè quæsita, vel sublimior & succo plenior oratio est sumenda. Quantum igitur ad Eloquentiam adjumenti affert imitatio; tantum lectioni, tantum copiæ ac varietati optimorum Auctorum tribuendum est: sine quibus (audite Adolescentes, audite quæso diligenter; & quæ dicam, altissimè in animis mentibusqué vestris infigite) sine quibus nemo unquam erat, atque esse potuit; qui vel aliquam dicendi gloriam & laudem Oratoris assecutus esset; sed hæc Demosthenis, hæc M. Tullii fuit, hæc omnium Eloquentissimorum hominum,

quibus omnem propè debemus hujuſce rei diſciplinam, regio atquê via: lectio illuſtrium Oratorum, & imitatio. Ac de ſeveriorum diſciplinarum ſtudiis quàm idem verum ac manifeſtum ſit, nihil hoc loco dicam. Nam & paucos hac ætate videmus, qui ad maximas illas, reconditaſqué facultates, ac veteribus tantopere adamatas, quibus mens humana nunquam expleri poteſt, animum adjiciant: & neminem eorum, qui ad hoc literarum genus incubuerunt, ita hoſpitem in eis ac peregrinum fuiſſe puto, ut vel rumor ad ejus autes de uniuſcujuſqué amplitudi-

tudine non pervenerit: & quæ Theologo ſacrarum literarum intelligentia, tot hiſtoriarum Eccleſiæ, tot conciliorum, Divorumqué Patrum notitia: vel Philoſopho diſſimillimorum Syſtematum atqué opinionum cognitio quam neceſſaria; tum verò ſententiæ cujuslibet validô undiqué rationum præſidiô communitæ quàm difficilis diſtinctio ſit, non indicârit. Ad quorum ſingula ſi quis pauliſper intenderit mentis aciem, tantarumqué rerum altitudinem, ſalebras & difficultatem animo ſecum reputârit: erit, erit, credo, tam imprudens ac temerarius, ut nè dicam fa-

cultatis unius partem, ſed ſententiæ, & unius occultiſſimi nodum myſterii aut intelligentiâ comprehendere, aut diſtinguere comprehenſum, aut diſtinctum ſine plurimorum commentariorum adminiculo aut ſe, aut quempiam explicare poſſe credat? Ego verò, Viri Ornatiſſimi, ſi vel ita de cujuſquam judicio ſtatuam: vel iis firmandis immorari velim, quæ luce ſunt clariora, ac ſine mea, vel cujuſquam hominis Oratione cognoſci planè poſſunt ac perſpici; amens ſim. Quare vos potiùs hic appello, Adoleſcentes; quorum cauſa agitur, quorum nobis u-

tili-

tilitas, & ſtudiorum emolumentum tum propter communem naturæ ſenſum, tum propter rationes vitæ noſtræ eadem hac vitâ carius eſſe debet: agite, quæſo, proferte Auctores, veſtroſqué libros, quibus inſtructi ad has literarum ſedes, bonarumqué artium domicilium perdiſcendarum literarum causâ convenistis. An, ut omittam de ſingulis quærendo recordari, ad eas artes, quæ humaniores appellantur, Ciceronis, Julii Cæſaris, Saluſtii Criſpi, Cornelii Nepotis, Livii, Horatii, Virgilii, Terentii, Plauti, Catulli, Tibulli, Lucretii, vel quicunque nobis ad elo-

quentiam, Latinamqué linguam duces exſtitêre, & quorum in ſcholis publica eſſe ſolet explanatio; horum præſidiis ſepti, horum commentariis inſtructi eſtis? An ad Grammaticen, caſtiſſimæqué Latinitatis acquirendam facilitatem, Phædri atque Æſopi fabulas, Epiſtolas Ciceronis, Catonis Diſticha, Aldi Manutii elegantias, Pontani & aliorum dialogos attuliſtis in hunc ludum? An propter capiendam hiſtoriæ notionem, quæ & Eloquentiæ, & Literarum, & rerum omnium vita eſt, ſcriptores quoſqué optimos rerum geſtarum in manibus habetis?

O faxint id aliquando Adolescentes noſtri! Enimverò majores noſtros fuiſſe conſtat hac vittute ac diligentia, ut in hiſce Authoribus ætatem exegerint, & ita exegerint ætatem; ut quorum hic à me Eloquentiæ vel facultatis Pòéticæ Parentum mentio facta eſt; nullus ſit eorum, aut vix ullus, quem non illi ad noſtram utilitatem, ad ornamentum Reipublicæ literariæ, in vernaculam Linguam à ſe traductum, poſteritatis memoriæ reliquiſſent. At verò noſtris juvenibus, Auditores, hanc eandem notiſſimorum Auctorum appellationem, ita igno-

tam, & insolentem, & peregrinam auribus eorum esse credite; ut mirari debeat nemo, quòd boni Parentes de nobis querantur: liberos suos, cùm è scholis annorum aliquot intervallô revertuntur domum, redire hospites in literis, & rerum omnium ignaros, juxtà ac si nihil unquam à nobis, vel ab aliis Magistris audiîssent, sed in ludo feriati essent. Quos enim isti commentarios terere, aut quos scriptores volutare solent? Piget me quidem exprobrare Auditores, ne aut vobis risum moveam, aut invidiam subeam apud istos; cogor tamen loqui per-

acer-

acerbo quodam animi mei ſenſu & dolore, quem capio, quoties ab eis folia quædam, quaſi Homeri ab Alexandro volumina, maximâ diligentiâ video circumferri: ſynonimorum, inquam, libellos neſcio quos, indicem Cnapii, tabulas Cypriani Soarii, & in Grammatices ſchola Emmanuelis Alvari inſtitutiones. Si qui autem ſunt, nimis ſe literis conſuluiſſe putant, ſi paucula phraſium recentis cujuſdam Auctoris folia circumferant, aut Oratiunculam Ciceronis unam. Hæc, ajunt, eſſe ſua omnia arma, hos codices, hæc volumina. Præclarè! Hic ſci-

licet

licet ille eſt orbis, illa orbiculata diſciplinarum ſeries, quam Græci Encyclopediam vocant: huc reciderunt ex omnibus literis, atqué ex omnibus latinæ linguæ ſcriptoribus petenda ad Eloquentiam adminicula, ut paucîs aliquot vel phraſium, vel præceptionum foliîs circumſcriberentur! O tempus malè perditum! O veſtram juvenum ætatem in hiſce libris perperam & inutiliter collocatam! Hæc enim eſt, hæc illa calamitas, quæ ſtudia veſtra diſpergit & diſſipat, quæ noſtrorum fructus laborum matureſcere non ſinit: quæ utinam aut nulla eſſet,

aut

aut aliqua parte leniri possit; quod fieret profectò, si discipuli ejusmodi, libris penè omnibus destituti, operam in scholis perdere nequaquam paterentur; sed in gymnasii vestibulo de Auctoribus quæsiti, quos Magister explanandos suscepit, nisi eos habere se dixerint, arcerentur aditu scholæ: domumqué relegati, à Magistris hæc Parentibus referrent: ut sibi de libris ac de literis magis, quàm de hæreditate, aut patrimonio providerent; doctiores scilicet se esse malle, quàm ditiores. At enim, pleriqué ajunt, nimia hac varietate & lectione librorum

con-

confundi puerorum ingenia, atque obrui. Rectè enimverò. Si tumultuaria, ſi ſine duce, ſi lectio ſit præceps. Nequé enim non eorum ego ſententiam amplectendam judico: qui puerum in unius Ciceronis lectionem incumbere quàm diligentiſſimè volunt, ut Principem Eloquentiæ ſpiritum à primario Oratore hauriat feliciùs, vitiiſqué aliis, quæ inconſiderata variorum lectio, multa ſecum affert, careat. Deligat ergo ſibi quiſqué, quem in ea facultate, ad quam contendit, Principem eſſe novit: nihil ſe tamen ſolidi, nihil perfecti aſſecuturum ſperet,

niſi

niſi mox alios pervolutet, ejus, cujus potiſſimum pabulo innutriri debet, ſimiles; ut ab aliorum quoqué virtute aliquid conſectetur: quod nobis præcepiſſe veteres, & ipſos factitâſſe accepimus. Diſſuaviabatur Thucydidem Demoſthenes, Cicero Platonem, Ciceronem præ cæteris Hieronymus: quos tamen tantam in aliis operam collocâſſe conſtat; ut poſtremum ex iis, ſapientiſſimum Eccleſiæ Doctorem Hieronymum memoriæ proditum ſit, librorum Origenis millia ſex, præter aliorum innumera evolviſſe. Admirandam enimverò diligentiam, & noſtræ ætatis me-

mo-

moriâ maximè dignam! Quà cum nè dicam tantum legendi ſtudium, ſed ne ullos quidem alicujus momenti & utilitatis libellos inter juvenes videamus; quænam tandem eſt, quæſo, illa querela Parentum, quam de nobis ac de aliis Præceptoribus ſæpiſſimè jactant: aut quid volunt, quid ajunt, cùm è ſcholis noſtris nullis perpolitos literis prodire dicunt Adoleſcentes; quos ipſi nullis commentariis, nullo librorum adminiculo inſtructos Magiſtris tradiderunt. Nam quod plerique filios perperam à ſe educatos, hoc eſt, aut nimia indulgentiâ corruptos, aut ini-

iniquis de literis imbutos opinionibus tradant ſub diſciplinam noſtram: hæc verò, Auditores, altera eſt tarditatis cauſa, tantò gravior, quantò plus in ea re momenti ineſt; ut in prima illa ætatula faciles flexibileſqué puerulorum animi mox ad probitatem & ſapientiam informentur. Ac de optima illa quidem puerilis inſtitutionis forma, quam & literarum, & rectè traducendæ vitæ, fundamentum appellârunt veteres, diſputare; & quænam primæ hujus pueritiæ germana, ac literis maximè accommodata diſciplina eſſe debeat, demonſtrare: non eſt

tam

tam angusti temporis, Auditores: non hujus institutæ Orationis, quæ ne molesta sit vobis, multa mihi necessariò prætermittenda sunt. Itaqué totum illud argumentum hisce temporibus imprimis necessarium in aliud tempus integrum mihi reservabo: nunc id dico, quod brevissimè dici potest, quodqué ad rem nostram attinet magis: nullam pestem ita esse literis inimicam, atqué illa Parentum suo partui simiarum more blandientium, cunctaqué ad liberorum voluptatem, non ad commodum prospicientium indulgentia, atque educatio mollis. De qua cùm multa

sapi-

ſapientiſſimi Viri, Magiſtri vitæ ac literarum, ſalutariter monita reliquiſſent; tum nemo fuit unus, cui non experientiâ compertum eſſet: quemadmodum ab illa ſeveriore diſciplina firmitatem corporis, robur animi & alacritatem; ita áb hac torporem ſtuporemqué mentis proficiſci; eamqué ſolam effeminatæ ac mollis educationis cauſam tantum literis, tantum Regnis ac Civitatibus detrimenti attuliſſe; quantum vix ulla res alia potuiſſet afferre. Quid enim memorem Quintilianum aut Senecam? quorum ille corruptæ ſuo ævo Eloquentiæ, atque hujus

literarum gloriæ, quam aurea illa ætas consecuta est, jam penè consenescentis, cùm diu causas perquireret; tùm demùm non ingeniorum inopiam, quibus illa Italiæ regio, & præstantissima Urbs Roma in tanta frequentia ac celebritate hominum, eodem cælô, iisdem Parentibûs procreatorum destitui nunquam potuit, exstitisse ait depravationis causam; sed illam maximè neglectionem disciplinæ severioris, & Parentum incuriam; qui infantes, liberosqué suos aut ancillis, exterisqué hominibus, & servis Græculis instituendos tradebant; aut eosdem ipsi non

aspe-

aſperitate objurgationis; ſed corruptelarum illecebris, & incitamentis malorum educabant; quibus irretitus animus, ipſe per ſe juvenili ferociâ exſultans, literarum, Majorumque laudem ſummâ deſidiâ & turpitudine vitæ obterere cæpit. Seneca autem an non idem in Imperatore ſuo expertus eſt? qui cùm vidiſſet, quantum ille mollis, effeminatus, & matris indulgentiâ depravatus animus è-xitium Reipublicæ ac perniciem adferret; penè lacrymans ſcripſit: nihil, Adoleſcentes magis fecit hebetes & inertes; quàm educatio mollis & blanda; ideò unicis

quò plus indulgetur, pupilliſqué quò plus licet, eò corruptior animus eſt. At enim ad hæc ſtudia literarum, quæ profitemur, non corrupto, molli & effeminato; ſed probo, excellente, & ſeveriore animo eſt opus. Ineſt enim quædam ſeveritas Muſis, quæ mollitiem reſpuunt ingeniorum, quæ fractum & torpentem animum in auguſtiſſimum illud ſuum, ac Majeſtatis plenum domicilium penetrare vetant. Quid ergo aut illo Adoleſcentum genere infelicius fingi poteſt, qui, ad hæc ſtudia animum appulerunt; à quibus eorum ingenium non à natura qui-

dem

dem acceptum; ſed à Parentibus ita inſtitutum maximè abhorret: aut his Parentibus imprudentius, quales hodie pleroſqué videmus, qui Adoleſcentes liberoſqué ſuos, intra domeſticos parietes lenociniis, otiô, languore, deſidiâ, & inter familiarium complexus blandimentis pridem infectos tradituri Præceptoribus ac Pædagogis, mox in ſcholarum aditu illos orare atque obteſtari ſolent: ne vel metu liberi ſui impellantur ad ſtudia; vel remiſſi acriùs objurgentur; ſed indulgentiæ melle deliniti, iis artibus literas acquirant, quibus olim domì alebantur; hoc eſt,

dormientes ac ludibundi. Qua in re duæ ſunt nobis cauſæ dolendi: altera levior, quæ attinet Præceptores ipſos ac Pædagogos; à quibus molliculus ejuſmodi, troſſulus, ac toroſulus puerulus malè caſtigatus in ludo, ubi Parentum auribus opplorare, quiritari, grunnire occæperit: quæ Magiſtris ſuſtinenda non eſt iniquitas maledicendi: quæ Parentum concitatorum odia: quæ minæ non ſubeundæ? ut non minor ſit eis labor cum Adoleſcente illo, quàm cuipiam cum ejuſmodi agro infæcundo atque emaciato; qui neque ipſe fruges ferret, neque aratrô exerceri, atque excoli

coli ſineretur. Altera gravior, quæ juvenes ipſos eorum liberos reſpicit: cùm intelligimus, quorſum hæc conniventia, & Paternus in filios recidat amor. Hinc enimverò fiunt domum recurſus tam crebri, tam frequens apud Parentes ruſticatio; hinc illæ ſextiles feriæ more noſtro atque inſtituto ad Kalendas Septembreis agendæ, pleriſqué Adoleſcentibus tam diuturnæ; ut ſi Parentibus nullius ejus rei ſenſus ineſt; nos profectò, qui Parentum ſuſtinemus perſonam, non acerbiſſimo dolore animi affligere non debeat, qui literas optimaſqué artes ad eam videmus de-

venisse calamitatem; ut ob menses, dies, ac ferias, quos otiô domi, ac ludis traducere solent, vix literis aliquod spatium temporis relinquatur: atque hoc idem tot Parentum officiis, tot domesticis, aut familiarium interpellantium impeditum negotiis; ut miseri juvenes hospites sæpiùs ac peregrini, quàm literarum ac Musarum alumni in schola versentur. Quæ singulæ tarditatis causæ, ac naufragia potiùs literarum etsi tanta sint, Auditores; ut majora vix à quopiam cogitari possint: tamen nisi alia quoqué essent graviora: quæ nos foderent magis: quæ nostrorum

fru-

fructus laborum in gemmis atque floribus ipsis præcerperent; hæc superiora essent nobis quoquo animô ferenda. Nequé enim ii sumus, qui aut omnem adolescentiæ adimere velimus requietem & ludum: aut ignoremus defatigationem à Platone inter literarum hostes numerari, præsertim in hac ætatula imbecilla, quæ nisi inter ludos ipsos, & pueriles jocos seria moliatur, hebescit protinus & languet. Detur hoc itaque puerili indoli: concedatur huic ætati aliquid otii & ludorum: atque istis tantum finibus hæc Parentum indulgentia contineatur. At enim quis

æquo animo ferat peſtiferum illud ſemen opinionum, quibus plerique Parentes imbuere ſolent filios tum, cùm in ætatis flexu rudes illi ac tenaciſſimi optimarum ſententiarum animi ad literarum amorem atque æſtimationem eſſent potiſſimùm inducendi. Vidi quendam inter populares non poſtremæ dignitatis virum, quo nomine appellem neſcio; ſed vidi quendam tamen, qui publico loco, in circulo & conventu eruditiorum hominum Præceptorem rogare aggreſſus, ut ne hiſtoriæ & Geographiæ ſtudium unà cum Eloquentia conjungeretur: illud primum arduum eſſe

at-

atque inutile filio ſuo contenderet. Sed quid ejuſmodi hominem me vidiſſe narro, Auditores? an eſt quiſquam veſtrûm in hoc ampliſſimo conſeſſu rerum adeò ignarus, atque in Republica Patriaqué ſua ita peregrinus & hoſpes; ut eum lateat genus illud hominum frequens: qui linguarum exterarum elegantiâ capti, Latinitatem exſibilant & explodunt: qui Pòéticen leve quiddam eſſe ac nugatorium exiſtimant: qui in ſeverioribus diſciplinis nihil emolumenti, nihil utilitatis vident: qui liberos iiſdem imbuunt opinionibus: qui deniqué Præceptoribus, ſi reconditiores ab eis

lite-

literas tradi intellexerint, aut diſcipulos ad diligentiam paulò acriùs excitari, obſtrepunt continuò: quorſum hæc tanta, exactores ſtudiorum, tam nimia literarum cura ac vigilantia? nempè liberos noſtros ad monaſticam inſtituendos diſciplinam accepiſtis? quæ hæc ſtudia nobis, ataviſqué noſtris ignota? fuerit ipſis affatim, ſi id ſuâ conſequantur operâ, ut Epiſtolam nitidè terſequé ſcribant: in eo ſitum eſſe rectum inſtitutionis genus; ut à prima ætatula ſint feſtivi, faceti, loquaces; nempè, quod ipſis placet, ſermunculorum, fabellarum nugivenduli. O vocem Parentibus

bus dignam; ſcilicet quam homines generoſa ſtirpe profectos natis ſuis ingenerare decet! Corneliam Gracchorum Matrem hoc literarum ſtudiô, atquê eruditione fuiſſe accepimus; ut ipſa liberos ad tantam illam Eloquentiam informâſſet: en Parentes noſtri optima ratione, atque inſtitutione erudiendæ Adoleſcentiæ Præceptoribus interdicunt! Lacædemonum in educanda juventute ſeveritatem, memoriæ proditum eſt uſquê eò perveniſſe; ut ſtatis temporibus ad aram Dianæ flagellis verberandi vocarentur omnes pueri; & qui ploratum ederent, dimitterentur ignominia

miniâ notati: qui autem in tanta perpeſſione dolorum tot plagas & ictus ſilentiô ferrent, ad ſuſtinendos literarum, atque armorum labores habiles judicati, mox eiſdem applicarentur: en iſti in tanta ſeveritate ſtudiorum liberos eſſe volunt ſemper hilares ac feſtivos! Abeant, abeant ejus generis Parentes, ſi qui hic adſunt: ac de ejuſmodi prole molli, effeminata, dicaci, feſtiva atque epiſtolari ornamentum literis, Reipublicæ commodum exſpectent: aut pleroſqué Adoleſcentes in gymnaſio, veluti in piſtrino hærere, tempuſqué non minus, quàm æta-

tatem terere querantur. Nimirum ex hoc molli genere inſtitutionis, nimiſqué ad ingenium puerorum accomodatæ, communis illa, de qua mihi breviter dicendum reſtat, tarditatis in literis cauſa proficiſcitur; Adoleſcentum ſcilicet ſocordia. Quotuſquiſqué enim eſt ex iis Juvenibus, Auditores, qui tam indulgenter educati, tamqué indignis opinionibus à Parentibus præoccupati ſunt; cui hæc ſtudia non cupiditatem ac ſitim, ùt fieri oportebat; ſed faſtidium ac ſatietatem non attuliſſent. Quid? tu eos commentari? aut ſcriptitare utile? tu eos valitura lecti-

tare

tare putes? Minimè verò. Quid ergo? non eos potius petulanter concurſare Urbem: non tempus ſtudiorum, partim ludis, partim ſomno ac ſpeculo, partim etiam voluptatibus liberaliter effundere videas? Unum tamen fortaſſe habent, in quo reprehendi non poſſint. Nam quoſdam alibi vigilantes comperi: ut qui libellos ſtudiosè volverent, & carmina ipſi etiam non infeliciter pangerent: quos verò libellos, quæ carmina? Nolite humile quid exſpectare: de raptu Proſerpinæ, de Diana, de Junone. O veſtram ſanè Juvenum ætatem in hiſce ſtudiis ac vi-

gi-

giliis præclarè conſumptam!
Sed agite: videte, quæſo A-
doleſcentes; quo animi ardo-
re, qua diligentia & aſſidu-
itate ad hæc ſtudia ſit veni-
endum, in quibus quiſpiam
veſtrum ad aliquam doctrinæ
laudem contenderit; prout u-
nuſquiſqué contenderé debet.
Ac veteres quidem cùm probè
intelligerent:inane eſſe illud
ſtudium literarum, quod non
eſſet aſſiduum; ita in eas in-
cubuerunt: ut omne ſibi tem-
pus periiſſe crederent, quô
non aliquid didiciſſent: ut fa-
ma ſit Catonem Uticenſem
in ipſa quoqué curia, dum ſe-
natus haberetur, Græcos li-
bros lectitâſſe. Quod etiam

de multis Romanorum ex Plutarcho accepimus; ſolitos illos, dum lecticâ iter agerent vel recitantem aliquem audíre, vel ipſos legere, aut quæ legiſſent, in adverſaria eruditionis referre. Tanti ſcilicet cenſebant Viri literarum ſtudioſiſſimi, vel minimi & ſubſecivi temporis habendam eſſe rationem; atque illud ad ejuſmodi ſtudia pertinere, ut nunquam animus conquieſcat à lectione, mens nunquam à meditatione utilium avocetur. Quamobrem ille quoqué Romanæ Eloquentiæ Parens M. Cicero, cum diu perquireret, quonam fieret pacto, ut in tantis Eloquentiæ præmiis &

glo-

gloria pauci admodum reperirentur, qui in hujuſmodi facultate rectô, ut ajunt, ſtetiſſent talô, atque altiùs provecti eſſent, tum denique: omittendæ ſunt, inquit, oratori omnes voluptates: relinquenda ſtudia delectationis: ludus, jocus, convivia, ſermo etiam penè omnium familiarium deſerendus. Ferream profectò legem ac nimiùm gravem! Sed videte, quàm veteribus uſitatam. Nam ut nihil de eodem Cicerone dicam, qui quotidie, quà ſcribendo, quà declamando, ne intermiſſa illa divina Eloquentia ſua ſponte langueſceret, mentem & ingenium exerce-

bat: an Demoſthene in hoc ſtudiorum genere quiſquam mortalium diligentior eſſe poterat? qui cum ipſa natura pugnans artem illam dicendi non in Urbe, non in hominum frequentia & contubernio; ſed in illa ſubterranea officina tanto labore atque aſſiduitate moliebatur; ut quò Attica illa Eloquentiæ mella exſorberet, Thucydidem, quantus quantus eſt, octies manu ſua deſcripſiſſet. Mirandam enimverò diligentiam ac ſedulitatem! Quam dum mecum reputo, Adoleſcentes: pudet profectò, pudet noſtrorum ſtudiorum rationem, cum hac incredibili

con-

contentione veterum confer-
re. Illi tantô legendi ac me-
ditandi ſtudiô ardebant; ut
nè á cætu hominum diſtrahe-
rentur, in ſpecuum ſe late-
bras abdere oporteret: nos ſi-
ne ullo ſtudio legendi, atque
etiam ſine ullo librorum ad-
miniculo ad aliquam tamen
ſolidæ doctrinæ aſpiramus
laudem. Illi hac de literis
opinione ſemper imbuti fue-
runt; ut artes multiplices &
nimis longas, vitam unam,
atque hanc nimiùm brevem
eſſe dictitarent: nos omne
id ſtudiorum genus atque
artium, dicacitatis de una-
quaqué diſciplina, atque exi-
guis unius epiſtolæ finibus

concludimus. Illis, nè quod interiret inaniter temporis momentum, iter ſibi quoqué agentibus feriari non licebat: nos quod ludis, quod feriis, quod familiarium officiis, quod negotiis domeſticis ſupereſt, temporis pauxillum Muſis avari donamus. Illi Muſarum ſeveri cultores omni colloquio, jociſqué ſibi interdicebant; ut quò ſe mente ac voluntate ſemel conjecerunt, id aſſequerentur omni conatu & ope: nos delicatuli, feſtivi, gelaſimi, auſteram illam diſciplinam veterum ferre valemus minimè. O diſparem omninò

utri-

utriusqué, hujus ac superioris ætatis literarum conditionem! Sed non est, non est cur miremur Adolescentes, tantò veteribus inferiores nos esse studiô; quantò illi nobis gloriâ & fructu literarum præstabant. Consenuit namqué jam pridem, consenuit vetus illa literarum æstimatio: cum hac ille quoqué literarum amor, qui in hacce Republica Patriaqué vestra præstantissimis viris immortalem laudem conciliabat, restinctus est; atque nova omnium disciplinarum ordini perniciosa ac pestifera opinio inveteravit: nihil in his

ſtudiis, quæ profitemur nihil in Latinitatis & Eloquentiæ, nihil in ſeverioribus diſciplinis divitiarum ſitum eſſe. Itaqué non ſine maximo animi dolore quotidie videmus pleroſqué Adoleſcentes optimæ ſpei & indolis, vix malè jactis Grammatices fundamentis, primiſqué labris Eloquentiæ fontibus delibatis mox relegari vel ad aulæ miniſteria; vel ad ſtrepitum juris civilis & jurgia; aut in militiæ diſciplinam proficiſci: hìc ſpes, hìc fortunas, atque honores omnes ſe præſtolari dictitantes! O vana conſilia! O ſpes falla-

ces! Haccine opinione imbuti fuerunt Majores vestri, homines illi & propter summam in Republica auctoritatem, & propter sapientiam singularem non nostris solùm, verùm etiam exterarum gentium monumentis celebrati: Hosii, Lipskii, Frædrones, Ossolinscii, Załuscii, Opalinscii, Maciejovii, aliiqué penè innumeri eodem cœlo, in eadem regione procreati? Hoc erat animi sensu vir ille immortalis, maximus literarum ac literatorum amator Joannes Zamoscius, et, quod fortasse sine multorum, quibus tanti viri

fama

ſama ſatis cognita non eſt, tacita admiratione quadam non commemorabo, Academiæ Patavinæ ſupremus Rector? Qui ſi nunc à mortuis divinitus excitatus reviviſceret, atque in hac Republica, in qua olim verſabatur, conſtitutus; hæc conſilia, has ſive parandarum opum rationes, ſive vias ad honores intelligeret: quô hæc ferret animô? quas in vultu & in fronte notas præferret? aut qua oratione, quibus verbis uteretur? Itane forte inique ac perperam commodis ſuis diceret eſſe proviſum; ut nimirum

hoc

hoc ſtudiorum genere aditum quæreret ad veram laudem & emolumentum; atque homo ordinis equeſtris ad ampliſſimos in Republica magiſtratus, honoreſqué, iis artibus contenderet: ex quarum intelligentia laus nulla eſſet, nullus divitiarum fructus aut dignitas exſpectanda: illas negligeret, ex quibus tranquilla beataque vita, fortunæqué omnes proficiſcerentur? Sed non eſt, non eſt, Auditores; cur quiſpiam noſtrum, aut de tam præclaro viro, cæteriſqué ejuſdem generis, literarum quondam ſtudioſiſſimis, tale quidquam a-

nimo

nimo & cogitatione finge-
re possit: aut illam no-
stræ ætatis ignaviam, tor-
porem, indignosquê de li-
teris sensus speciosa aliqua
excusatione defendat. Ve-
rùm si rem certô judiciô,
justisqué ponderibus exa-
minare velimus, tum de-
niqué ita constituamus o-
portet: quidquid hoc e-
molumenti fuit ac sem-
piternæ gloriæ, quod sibi
Majores nostri comparave-
runt, id omne studiô, a-
more, diligentiâ, ac per-
petua tractatione literarum
partum esse: quidquid hoc
damni est, & in literis
detrimenti, quod nostros
Ju-

Juvenes accipere videmus, totum id otio, totum languori, & iniquæ literarum æstimationi assignandum. Quæ cùm ita sint omnino, viri ornatissimi; ut unde tandem orta est, eodem redeat, desinatqué oratio: mittant tandem aliquando, mittant per Deum immortalem pleriqué Parentes querelas istas, quas de nobis, ac de aliis Magistris imprudenter ac temerè jactant: nihil omnino boni nostris in scholis edoceri: officio scilicet suo deesse Præceptores. Nam etsi nos inter ac discipulos nostros tanta conjunctio ducenda non esset; quanta in-

ter

ter ipſos, eorumqué liberos neceſſitudo intercedit: ecquis tamen hominum adeò nos à ratione averſos, aut communis naturæ ſensûs uſque eò crederet eſſe expertes; ut quoſcunqué demum adoleſcentes nòn iis videre cupiamus artibus inſtitutos, quibus Reipublicæ ſalus, quibus Eccleſiæ ornamentum ac dignitas continetur? Sed nolo auditores, nolo rem clariorem per ſe, quam ut à quopiam aut ignorari, aut in dubium revocari poſſit, exequi uberiùs: Vos ego potiùs per illam veſtri judicii graviſſimam ſententiam atque auctoritatem oro at-

que

que obſecro; ut ſi videritis pleroſqué adoleſcentes indole, memoria, & ingenio non omninò deſtitutos; tamen ex hac Univerſitate atque acie ſtudiorum prodire haud ita bonis artibus perpolitos; non id continuò ſive noſtræ docendi rationi, ſivè induſtriæ Præceptorum, atque inſtitutioni tribuendum putetis: verùm, quod communis experientia, quod una omnium ſapientiſſimorum hominum conſentienſqué vox docet: partim librorum inopiam, partim indulgentiam Parentum, & iniquas de literis opinio-

nes,

nes, quibus teneri illi ac rudes puerulorum animi mox in prima ætatula imbui ſolent: partim ipſorum adoleſcentum ignaviam præcipuas ac ſingulares inſcientiæ literarum cauſas eſſe memineritis. *Dixi.*

In Studiorum repetitione

ORATIO II.

de eodem Argumento

Dicta Kalend: Septembr: Annô

MDCCLVIII.

CUm anno ſuperiore ex hoc ipſo loco initiô Studiorum ejus quæſtionis cauſas explicarem: quidnam pleroſqué adoleſcentes diſcipulos noſtros impediat, quominùs

nùs tales in literarum, Eloquentiæ, artiumqué ſtudiis progreſſus faciant, quales nos laudis eorum, commodiqué ſtudioſiſſimi optaremus ipſis, gratularemur nobis: illud, ſi meminiſtis, contendebam, Auditores; peſtem illam literarum, quæ noſtrorum fructus laborum matureſcere non ſinit, non ullo naſci ſive Præceptorum vitiô, ſive ratione docendi ſchôlis noſtris recepta; ſed partim à Parentum indulgentia, partim à librorum inopia, partim ab inertia Juvenum ipſorum docente experientiâ proficiſci. Quo argumenti genere his planè temporibus neceſſario, vobis, ùt

intel-

intellexi, non injucundo, etsi me crebris Parentum nonnullorum querelis occurrisse puto; qui liberos à se nimia lenitate depravatos, iniquis de literis imbutos opinionibus, nullis instructos libellis, crebris domi rusticationibus distractos, nulla deniquè objurgatione ad optimarum artium studia incitatos queruntur è scholis emergere tales, quales Præceptoribus traditi sunt, hoc est,crudos, nullisquè literis expolitos; non desunt tamen homines, qui sive obtrectandi, sive expostulandi de nobis æquiores habere causas videantur. Est genus Parentum, quod non ignoratis,Au-

ditores, in filios auſterum, de ſtudiis, libris, ac pædagogis ſolicitum, ſed progreſſus eorum uſquè eò cupidum, ut quemadmodum Herculem ajunt ſtadium Olympicum anima continente, unoqué ſpiritu confeciſſe; ſic ipſi liberos ſpatia hæc literarum immenſa tempore breviſſimo, &c, ut ita dicam, unâ, eademqué operâ percurrere velint. Quare exactis aliquot annis ſimul ac recentes illos à Magiſtro puerulos è ſcholis abduxerunt, ita de ſingulis eos artibus percontantur, quaſi Muſas ſecum omnes abduxiſſent. De Eloquentia, de Hiſtoria, de Pöetice, de Geometria, Geographia,

phia, Arithmetica, de Latinis, Gallicis, Germanicis literis quærunt. Quibus artibus si non ita perpolitos esse Adolescentes contingat, ut expleant tantam de se Parentum expectationem; nihil est, quod non tam eos ab odio & contumelia, quàm nos à calumnia & criminatione defendat. Vociferantur aut Magistros hebetes fuisse, ignaros, rudes, earumqué artium expertes, aut in tanta scientiarum hac tempestate gloria & incremento nihil omnino nostris in scholis edoceri, quod Reipublicæ commodo, pueris emolumento sit. Quæ quidem vulgares plerorumqué Paren-

tum querelæ quoniam tantò justiores esse videntur, quantò liberos eorum ad literas rebus omnibus instructiores à tarditate, aut ignorantia nihil eximit, liberatqué; non indoles, non animi remissio, non educatio mollis, non deniqué difficultas commentariorum ad studia utilium: operæ pretium me facturum existimavi, si in eodem argumento, quô anno superiore usus eram, diligentiùs verser, aliasqué vobis ejus rei causas assignem, quibus & scholarum nostrarum, imprimis verò hujus Universitatis defendam existimationem, & perditam horum Adolescentum causam

ſam apud vos Arbitros ac diſceptatores obtineam. Quamobrem, ſi me benevolè, attentèqué audieritis, quod mihi pro veſtra benignitate polliceor, efficiam profectò, ut intelligatis cauſam: cur iſti adoleſcentes minùs, quàm nos velimus, ipſiqué poſſint, in ſtudiis literarum proficiant.

Itaqué illud primò ac maturè mihi video inquirendum, quibus eorum opinio rationibus firmetur, qui de liberis in magno numero ac varietate artium, quibus eos inſtitui volunt, celeres magnoſqué in ſingulis exigunt progreſſus. Ajunt: puerorum ingenia veluti cultos ac fertiles agros,

admodum esse fæcunda; ut quæcunqué literarum semina jeceris, fructus ab eis expectes uberes. Ajunt: optimarum artium studia hoc tempore ad eam esse deducta facilitatem; ut non multo labore facilè sit cuique, qui paulò discendi studiosior est, multas artes complecti. Postremò non solùm vitam hominis negant esse brevem, ùt censebat Hyppocrates, ad artem unam assequendam; sed etiam septenos, octonosvé annos nimios puerulis esse putant ad acquirendam & lingvarum peritiam, & artium: tot scilicet esse hodie literarum adminicula expedita & apta, tot compen-

pen-

pendiarios libellos, tam brevem docendi, diſcendiqué rationem, ut, niſi Præceptores in earum rerum ignoratione verſentur, nihil ſit, quod objectantibus poſſint obloqui, cur non totum illud doctrinæ pueri curriculum annis conficiant paucioribus, omniſqué tarditatis non in eos recidat cauſa. Hæc ſunt, Auditores, quæ his temporibus omnium in ore verſantur, quæ nobis in conviviis, in circulis, in Templis, in Scholis, in foro, in plateis, vel objiciuntur, vel reſpondentur: quæ ſingula, quam vim habeant, dum ego planiùs explico, & secùs, atqué hi homines ſentiunt,

tiunt, quæ ſit puerorum indoles, quæ artium difficultas, quanta ſit hæc, quam nobis præſcribunt, ſtudiorum brevitas, paucis abſolvo; vos attendite, quæſo, & ad rei cauſas, & ad rationes defenſionis noſtræ. Fæcunditatem ingeniorum in Juvenibus prædicant. Ecquis verò in literis non planè hoſpes ignorat, animos noſtros corporibus incluſos, quòd in cognoſcendo, intelligendoqué pendeant à rebus, à ſenſibus, à corporatis inſtrumentis, ad multa comprehendenda nec celeres eſſe, nec valdè capaces; & puerorum ingenia ita potiſſimùm anguſta; ut nonniſi leniter ac pede-

pedetentim bonis artibus ſint informanda. Vaſculis quibuſdam anguſto obtortoquè collo ſimiles eſſe Juvenum animos dixit Quintilianus; nam quemadmodum hæc ſuperfuſam humorum copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis complentur; ita puerorum ingenia tantò literis imbuas commodiùs, quantò leniùs. Ac ſanè niſi lenitate illa uteremur, quotquot in excolendis Adoleſcentum ingeniis occupati ſumus; de induſtria, de curis, laboribuſqué noſtris actum eſſet. Nimirùm id habet hæc ætatula, ut quò acriore mentis acie prædita eſt,

eò

eò citiùs hebeſcat in ſeriis, & quantò ad hæc impellitur acriùs, tantò faciliùs enervetur, fructuſquè illos literarum ſtudioſiùs quæſitos, in floribus ac gemmis magiſtris præcerpat. Quod non in Tyrunculis modò, & infantibus, ſed in grandioribus etiam natu uſu ſæpe venire accepimus. Enimverò vidimus homines, qui ingenium excellens, ætatis robur, vires corporis integras ad unam artem comparandam contulerunt; eos mox contentiore diſcendi ſtudio abreptos, feſſos langventeſqué, aut animos deſpondiſſe, aut ſtupore obtorpuiſſe, & ignaviâ. Sanè de

Her-

Hermogene quodam memoriæ traditum eſt, cùm decimô quintô ætatis annô cauſas maxima animi contentione agere vellet, & non minore hominum concurſu atqué admiratione jam agere cæpiſſet, adeò hebetem factum eſſe; ut, quod eſt ab Antiocho dictum, inter pueros ſenex, inter ſenes puer videretur, & eſſet. Tanti ſcilicet eſt vì animi ſummâ niti, hoc eſt, properare in literis, celeriterqué imbecillam præſertim ætatem progredi velle. Sed agite, quæſo, ſeveri puerilium ſtudiorum exactores; indolem ejuſmodi, quæ ſit doctrinæ omnis capax, par ſuſtinendo labori

bori

bori omni, quam non ſeria frangant, non aſſiduitas imminuat, Præceptori informandam tradite; quid, præcipitemné ego, ac feſtinum in literis proceſſum ſperem? At eſt, Auditores, eſt aliud quoqué, quod veteres Magiſtri præter indolem ac ſolertiam, noſqué omnes requirimus ab iis, qui ſeſe artibus impendunt, ſcilicet firmitatem animi, ſive conſtantiam. Etenim niſi hæc Adoleſcenti obveniat cum indole ſive ingenio, id oportet agat, quod quibuſdam ægro corpore evenire videmus; ut ſicut hi modò ciborum genus omne adpetunt, modò in adlatis faſtidiunt,

unt,

unt, aut cùm paululùm deli-
bârint, vel alios afferri po-
ſcunt, vel nullos; ita ille jam
ad hæc, jam ad alia ſtudia ra-
piatur, quæ poſtquam pri-
moribus, ùt ajunt, labris de-
guſtavit, reſpuat; animoque
modò ſit alacri, modò re-
miſſo, abjecto, ac prope nul-
lo. Quam quidem commu-
nem, & inſitam nobis à natu-
ra labem quoniam in Juveni-
bus tantò vulgariorem eſſe
videmus, quantò hæc ætas
celerioribus eſt prædita igni-
culis; cautiùs eorum animos
tractandos uſus, & experi-
entia nos monet, nè, dum pu-
erum cupimus eſſe conſtan-
tem, efficiamus hebetem, &
iner-

inertem; quemadmodum dum erigimus abjectum, ne levem & inconſtantem reddamus. Itaqué temperamus modeſtè, dum fervent: dum frigent, leniter incitamus: dum aliò avolare geſtiunt, patienter reprimimus: ac propterea leviculam illam ætatulam lentè nimis progredi non admodum demiramur; ſed urgemus, patimur, ac ſuſtinemus. Ergo vigilandum eſt, inquiunt, Præceptori, ut animus ſemper ſibi ſit conſtans, attentus, ac docilis. Equidem etſi hoc loco noſtrorum à me vigilantiam defendendam minimè putem, vos tamen ipſos muneris veſtri, induſtriæqué teſtes

eſſe

esse volo Magistri, ac Præceptores: agite, an officio deestis vestro? non in ludo id potissimùm contenditis, ut quà præmiis, quà minis, quà precibus, quà objurgationibus, audientiam vobis, atque attentionem faciatis? At non animadvertitis interea trossulos illos puerulos äere omni mobiliores, paululùm quietos, ac dociles, brevi vestræ adhortationis oblitos aliud agere; jam pandiculari: jam pedibus supplodere: jam vos interpellare de nugis: animum aliò planè gerere avocatum. Isthoc genus indolis ego facilè bonis artibus imbuendum putem? aut celeres

quidem illos, ſed eoſdem tur- binatos inconſtantis animi motus diu duraturos, atque aliquid momenti utiquè ad literas habituros ſperem? Deſinant, deſinant Parentes ſimiarum more ſuo partui blandiri, & feſtiva illa, atque argutula ingenia amplexari; deſinant vel ab eis maturos literarum fructus exſpectare; vel noſtram Præceptorum requirere vigilantiam: aut, ſi utrumqué agunt, efficiant illi antea, ſi poſſunt, ut animus à natura celèr, levis, ac temerarius; idem ſit gravis, firmus, ſibiqué conſtans. At enim, inquiunt, ingenuarum artium ſtudia hac tem-

tempeſtate ad eam eſſe deducta facilitatem, atque aditus habere tam breves & expeditos; ut per eos, cujuſcunqué demum indolis Adoleſcens, modò non ingeniô deſtitutus, nequé ad ignaviam ſummam projectus, ſi velit, in literis facilè ac celeriter properare poſſit. Hoc verò, Auditores, alterum eſt caput defenſionis noſtræ, quod nobis neminem unquam eorum objeciſſe puto, qui in literis conſenuerunt, atque in hanc unam curam, & cogitationem incubuerunt, ut ſapientes & videantur & ſint; niſi id genus hominum, qui quadam doctrinæ fama, & opinione conten-

ti, quales hodie plerosqué videmus, cùm aliquas ipsi artes aut extremis, quod ajunt, digitis attigissent; aut earum capita quædam audivissent ex aliis; continuò se circumspiciunt, & jactant; cæterosqué eodem aditu, & viâ facilè celeriterqué in literis agi posse putant: hoc est ludibundos, ac dormientes. Nam eos quidem, qui veram, solidam, ac perfectam vel unius doctrinæ cognitionem assequi volunt, tametsi assiduo labore ac vigiliis ad id unum contendant; nihilominùs, quod in quibusdam complures dies, noctesqué hærere, & quædam vel non planè cognita, vel intacta,

cta,

cta, & imperfecta relinquere sibi oporteat, queri sæpe videmus. Nec sanè injuriâ. Nam si viros accepimus sapientiæ famâ celeberrimos non in una scientia, sed in scientiæ unius articulo vitæ veluti domicilium collocâsse; tamen è vita discessisse priùs, quàm rei sibi ad contemplandum propositæ difficultatem exhausisse, nec invenisse planè: vel in Mathematicis dimetiendi quadrô circuli rationem: vel perpetuam corporis mobilitatem in Mechanicis: vel in Physicis gravitatis, ventorum, maris æstûs, vis magneticæ, aliarumqué rerum plurimarum causas & rationes non reperisse:

quotuſquiſqué hominum erit, qui ſe facilè ſingula comprehenſurum putet? qui vel unam Phyſices partem non maximi eſſe momenti intelligat; qui in Mathematicis non ſolam Geometriam, aut Algebram, plurimis difficultatibus, & ſalebris credat eſſe implexam: qui denique in Hiſtoria, & Geographia, locorum, perſonarum, temporum, rerumqué multitudine ac varietate non continuò ſeſe obrui ſentiat? Atque hæc non ſingula, ſed cuncta: non multis, perpetuiſqué vigiliis, ſed levi faciliqué negotio: non virum ſubactô judiciô, ſed levi & inconſtante animo Adoleſcen-

tem

tem ſi quis planè conſecutu-
rum putet; eum in maxima-
rum, ac toto orbe notiſſima-
rum rerum ignoratione ver-
ſari neceſſe eſt. Verùm ego
ita ſtatuo, Auditores, hoc ge-
nus hominum, qui nobis ad-
verſantur, de ſeveriorum di-
ſciplinarum difficultate nihil
quidquam detrahere. Nam
& ſe rudes nimis eſſe, rerum-
qué omnium expertes hoc
pacto indicarent: & pauci ad-
modum, aut vix ulli, admira-
bili veræ Mathematices, ac
Philoſophiæ ſplendore, &
pulchritudine illecti, hoc ſtu-
diorum genere filios imbui
iſtis temporibus volunt. At
enim cur Eloquentiam, cur

Grammaticen, & expeditum Latini ſermonis uſum non facilè acquiſiêrit Adoleſcens; hoc nos malè habet, inquiunt: id nos pungit, perfodit, pervellit. Æquiſſimas enimverò, graviſſimaſqué querelarum cauſas! Nam cum ipſi omnem Oratoriæ facultatis vim, & efficaciam, exiguis unius Epiſtolæ nitidè, terſèqué conſcribendæ finibus circumſcribant: cur itaque hoc ſtudiorum genus, quod ad colum, & lanam ediſceretur, non facilè perceperit puer? quæſo ego vos Adoleſcentes (vos enim ipſe ex hoc loco inſcientiæ tantæ coarguo, qui in illo epiſtolaris Eloquentiæ genere, ſi E-

lo-

loquentia hæc nuncupanda eſt, diu mecum hoc anno deſudâſtis) agite: eccur tam brevem, tamqué facilem ſcribendi facultatem non unô, eodemqué ferme momentô exhauſiſtis, exſorbuiſtis, devorâſtis? Meminiſtis, credo, ſæpe dictum vobis, id, quod uſu jam quodam compertum habetis; epiſtolam habere quandam venuſtatem, ac feſtivitatem, tantò difficiliorem, quantò minus ſtudioſè quæſitam; in tam diverſo verò, & multiplici, ac ſemper breviſſimo ſcribendi genere duo imprimis difficillima, & in adoleſcente admodum rara deſiderari: judicium, & experi-

peri-

perientiam. Quæ duo ſanè in cæteris eloquentiæ partibus, in quibus omne dicendi robur verſatur, tantò magis Oratori ſunt neceſſaria, quantò hæ graviores per ſe, ac ſeveriores exiſtunt. Cogitate enim mecum, Auditores, quanti id eſt, in Curia, ſive Senatu rei politicæ argumentum pertractare: in Foro ſive impugnare cauſam, ſive defendere: gratulandi, reprehendendi, Perſonas, reſqué omnes exornandi, genera ſingula explorata habere? quanta in his omnibus judicii gravitas, quantum ſententiarum pondus, quot veterum, ac recentium exempla; quæ hiſto-

ria-

riarum cognitio Oratori eſt neceſſaria? Hæc verò ſingula cum uno ferme, atque eodem tempore pertractet Adoleſcens, judiciô deſtitutus, ab Hiſtoria imparatus, rerum ignarus omnium; erit aliquis tam prudens, qui in hoc ampliſſimo Eloquentiæ theatro celeres, firmoſqué exigat progreſſus à puerulo, & infante? Verùm tametſi vir exiſtat. An eſt namqué cuipiam Marci Antonii apud Tullium vox illa inaudita: diſertos exſtitiſſe quàm plurimos, eloquentem ad ſua tempora in hominibus neminem. Ergo cùm à nemine hucuſqué perfecti Oratoris laus in maximis contentio-

nibus

nibus ſit occupata; eam tu ſcilicet facilem, promptamque in Tyrone deſideres? Nolo, nolo equidem, Auditores, rem claram per ſe, & de qua nemini veſtrûm obſcurum eſſe poſſit, pluribus comprobare; maloque id in veſtro judicio, & opinione, quàm in oratione mea ponere. Quamobrem & de Grammatices, ſive Latinitatis ſtudio, aut nihil, aut pauca dicam. Nam & ii ipſi, qui liberos cæteris artibus nimis feſtinanter imbui volunt, de Lingva Latina, ſine qua cæcam eſſe omnem, & illiberalem doctrinam cuncti adhuc ſapientes crediderunt; hodie (quod maximo

ſine

ſine dolore eloqui non poſſumus) non admodum ſoliciti, balbutire quidquam infantes, non loqui, aut ſcribere volunt; & quàm ſit operoſum propria, ac venuſta Latinitate, non illa Gothica barbarie loqui; quantò hac de re plura iis dicere ſolemus, tantò nos intelligunt minùs. Sed tamen ad Eloquentiam, & Latinitatem brevius quoddam nobis, & expeditius iter monſtrant, ac faciliorem docendi, diſcendiqué rationem, non tot nugis, atqué inanium præceptorum tricis implexam venditant. Itané verò viri optimi? novum quendam, ac diſcendi modum facillimum, nobis ig-

no-

notum, vobis habetis compertum? Vigilias enimverò, laboresqué noſtros malè poſitos; & quidquid hoc eſt in nobis infelicium literarum, ſi quid eſt tamen, fruſtra tam difficili ſtudio & contentione quæſitum! Credidimus nempe hanc rationem docendi, quâ utimur, judicio ſæculorum comprobatam, ex veterum monumentis excerptam, amplectendam eſſe nobis de hac inſolentia, ac novitate rerum ignaris; itaque arduum ad eloquentiam, arduum ad Latinitatem iter experimur; & ne dicam in Oratiuncula, ſed interdum in Phraſi, aut vocula hæremus. Quod nihilomi-

minùs inter tot ſapientiſſimorum exempla virorum, quibus idem contigiſſe traditum eſt, non admodum nobis dedecori ducimus. Sanè Ciceronem illum Eloquentiæ Parentem dictitare ſolitum accepimus: ſe quidem eloquentem non eſſe; tamen perfectam quandam veri Oratoris formam ante mentis oculos ſibi obverſari; verùm quænam hæc ſit, nullô pactô explicare ſibi licere: en noſtræ ætatis homines Oratorem breviter, ſummatim, ac celeriter effinxerunt. Servium Sulpitium hominem utiqué Latinum, & ita natum; ſæpe tamen legimus in eas Latinæ

lin-

lingvæ difficultates fuiſſe con-jectum; ut de Germana vocum ſignificatione, non ſecùs, quàm de re maxima, ſe uti conſilio Varronis oporteret: en homines novi compendiariâ quadam, faciliqué via infantes ſperant fore Latinos! verùm Latinoſné dico? imò Gallos ſimul, ac Germanos. Eoſné tantùm? quin etiam Oratores, Pòétas, Phyſicos, Geometras, Hiſtoricos, & quid quid bonarum eſt artium. Quô temporis intervallô? Septenorum nempe, aut octonorum ſpatiô annorum. Hæc autem eſt graviſſima, atqué omnium maxima ſive tarditatis, ſive inſcientiæ

lite-

literarum causa; Orationis verò meæ pars postrema; scilicet brevitas studiorum: de qua vestram ego sententiam, Viri sapientissimi, tantò mihi polliceor æquiorem; quantò hæc singula, de quibus dixeram, certiora vobis esse confido. Quotus enim quisque vestrûm erit, Auditores, qui cùm inde juvenilem indolem levem, temerariam, infirmam, nec statim seriis onerandam: hinc verò varietatem, ac difficultatem artium maximam, & nullis vitæ regionibus satis circumscriptam, secum ipse reputârit; is non hoc paucorum annorum spatium nullum esse affirmet; cumqué ita

affirmârit, tum deniqué non plenam, & benè subactam, sed vel mediocrem, vel quamcunqué bonarum artium intelligentiam nostris à Juvenibus exigat. Ac veteres quidem cùm probè intellige-rent, id, quod Græcus ille Metrocles sapienter dictita-bat: res alias emi posse pe-cuniâ, literas tempore; nihil erat omninò, quod tam dili-genter, ac religiosè ab eis re-quirerent, qui ad aliquam doctrinæ laudem adspirant, quàm assiduum in hoc pulve-re literario laborem, eumqué maximè diuturnum. Nimirum non ignorabant, illi: in literis, ut in rebus cæteris, nihil es-

se

ſe tam aſperum & operoſum, quod aliquando non ſuperet conatus, quod diuturnitas temporis non emolliat. Quamobrem Ariſtotelem illum Philoſophiæ Parentem ſub diſciplina Platonis annos viginti maximô ſtudio ac diligentiâ: Themiſtoclem verò centum ac ſeptem in ſolius Philoſophiæ contemplatione exegiſſe accepimus. Quis autem ignorat Platonem ipſum, Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, Architen illum Tarentinum; Cretam, Ægyptum, Lacædemona, Perſiam, aliaſqué disjunctiſſimas regiones peragrâſſe; utqué ſibi veram doctrinæ

laudem compararent, omnem in his ſtudiis collocâſſe ætatem. Quid? quòd plerique divinô quodam ingeniô à natura præditi, non in multis, ſed in arte una; neque in arte illa, quæ induſtriæ, ſed quæ naturæ & ingenio à ſapientibus tribui ſolet; tanta tamen contentione ac diuturnitate deſudârunt; ut traditum ſit Virgilium Pöetarum Principem ita Pöeticis fuiſſe deditum; ut in Libris Georgicorum ſeptem perpetuos annos, in Æneidum autem carmine annos duodecim inſumpſiſſet. Nihil dicam de Iſocrate Oratore Græco; nihil de Sannazario recentium

tium Pòëtarum præſtantiſſimo; ex quibus ille centum propè annos in perpetua Eloquentiæ exercitatione explêſſe, unamqué illam orationem Panegyricam, quemadmodum Elephanti ſolent, decem annos parturiîſſe fertur: hic autem tres aureos illos de partu Divæ Virginis libellos viginti annorum lima traditur perpoliviſſe. Mirandam ſanè veterum aſſiduitatem, atqué ejus temporis memoriâ maximè dignam! Quæ omnia ita à me dicta velim, ut cùm facilè quiſqué intellexerit: citrà maximum ac diuturnum ſtudium neminem in re literaria fieri magnum;

tum ipſe mecum concludat: fallacem & ridiculam ſpem eſſe Parentum tam exiguo annorum aliquot ſpatio, varia, multa, eaqué maxima ac difficillima de liberis exſpectantium. Quid ergo, dicet quiſpiam eorum, hac queribunda oratione ſibi vult faſtidioſus ille è ſchola Socratis declamator? nempe in hoc pulvere neſcio quo literario Juventutem conſeneſcere cupit; liberiſqué noſtris generoſa ſtirpe profectis omnes adimet olim in vita civili occupationes: nequé partem aliquam ætatis Juri, majorem publicis Patriæ muneribus, maximam domeſticæ, tran-

quil-

quillæqué vitæ reſervabit? Hæc verò, Auditôres, ſi quis fortaſſe veſtrûm maxima contentione, & gravitate à pleriſqué Parentibus agi animadverterit; profectò cum hæc honeſta conſilia, præclaroſqué ſenſus intelliget; tum eis obſequendum, nec diutiùs Juventutem intra ſcholaſticos parietes detinendam cenſebit. Verùm, quæſo ego, duo ſecum ille paulò diligentiùs recogitet. Primum: eſtné ſtudium aliquod Juris, ſive aliquod Reipublicæ miniſterium,ſive aliqua vitæ civilis occupatio; quæ his Juvenibus aliquam laudem, vel emolumentum ſit allatura, qui

iis artibus, quas tradimus, quaſi quibuſdam ſubſtructionibus & fulcris non firmiſſimè fuerint ſuffulti. Alterum: an in tanta frequentia & numero Adoleſcentum, quos omnes ferme è ſcholis maturè dimitti cernimus, multos vidimus; qui vel ad alias ſtatim facultates contenderent; vel mox ad publica applicarentur munia. Verùm quis primum ignorat, Auditores, tantò illos majorem laudem & utilitatem olim in vita civili habituros; quantò literis inſtructiores, hoc eſt, quantò ſeriùs è ſcholis eggrederentur: quod de Zamoſcio, de Warſzewickio,

de

de Lipſkio, de Maciejowio, ac pleriſquè veteribus Polonis, Viris literarum, rerumqué geſtarum famâ in hac Republica celeberrimis, traditum accepimus. De altero cùm nemo unus neſciat, pleroſqué hodie adoleſcentes à Parentibus è ſcholis tam celeriter abreptos, non aliis certè facultatibus operam impendere, ſed feriatos domi deliteſcere; & partim otiô, partim venatu ac ludis, partim etiam, dicam, quod res eſt, voluptatibus atqué amoribus irretitos tempus bonum his lenociniis contere-re: quotuſquiſqué veſtrûm erit, Auditores; qui non me-

cum

cum unà miretur: cur horum Juvenum Parentes tam properatô opus habeant; cur ætatem illam lubricam, & non optimè domi traducendam, non in ſcholis ac literis, non ſub diſciplina Præceptorum conſumi malint; ſuo ſolatio, liberorum commodo, majore Patriæ ornamento. Quam profectò mentem ſi qui ſuperi tandem aliquando Parentibus dediſſent; illi inferendæ nobis injuriæ, nos defenſionum ſtudiorum noſtrorum olim materiâ caruiſſemus. Nunc cùm inter varias, eaſqué veras ac ſolidas tarditatis liberorum eorum cauſas, quas vel hodie, vel ſuperiore an-

no complexus eram, à nobis profectò alienas; tamen tota hujus mali acerbitas in nos, nostraqué Gymnasia infera-tur; jure tuemur existimationem, jure nostros defendimus labores. Ac quantùm ad hanc imprimis attinet Universitatem, bonarum artium domicilium; vestris ego, Parentes, liberis disceptatoribus ac Judicibus uti volo; (tantùm enim innocentiæ nostræ confido) vestri nati nos accusent; & si quid à nobis prætermissum est, quod ad studia bonarum artium referri putatis, objiciant. Desideratis unà cum Lingvæ Latinæ studio, Geographiæ

&

& Historiæ rudimentis; certis verò temporibus Gallicis ac Germanicis literis instrui liberos vestros? instruuntur diligenter. Desideratis in his omnibus non eos præceptis obrui, sed probatissimorum Auctorum interpretatione, usu, & exemplis informari? ita informantur. Vultis grandioribus cum Philosophia & Eloquentia, Mathematicen, Geometriam, Arithmeticen, Jusqué civile subsecivis horis tradi? traditur. Vultis in hac ipsa Oratoria facultate, quam profitemur, ad eum Juvenes modum exerceantur, qui eorum utilitati, ac Reipublicæ

mu-

muneribus maximè accommodatus ſit? exercentur hoc modo. Dicite Adoleſcentes, non enim decet noſtra commemorare, nonné majorem temporis partem in vernaculis, omnes autem horas in iis exercitationibus collocâſtis, quas ad curiam, quas ad cauſas forenſes, quas ad vitam civilem pertinere potiſſimùm arbitrati ſumus? Ecquid à nobis præterea boni Parentes requiritis? Cur non proficiant. Vos ego per maximam illam, quam de liberis veſtris gerimus, ac gerere debemus, quoniam officio fungimur Parentum; per illam, inquam, curam ac

soli-

ſolicitudinem oro, atqué obteſtor; ut ne hanc peſtem, de qua pariter nos querimur, nobis tribuendam putetis; ſed ſive ex ſuperioribus: librorum ſcilicet inopiam, mollem filiorum educationem, eorumvé inertiam; vel ex his, de quibus hactenus dixi: puerilem indolem, difficultatem ac varietatem artium, temporis deniqué brevitatem; maximas intelligatis eſſe tarditatis in literis cauſas; ſive, quod idem eſt, verum illud Hyppocratis: judicium difficile, artem longam, tempus breve eſſe credatis. Veſtræ verò, Auditores, inſignis ſapientiæ, curæ, imò reli-

religionis erit, pro communi rei literariæ emolumento, cùm in eadem ſententia eſſe; ratum verò iiſdem cauſis & rationibus deinceps obterere omnem atqué contundere calumniam. *Dixi.*

DE

Diva Virgine

CATHARINA

Præside ac Patrona ſtudiorum

ORATIONES

DUAE

Ad Senatum Academicum

habitæ

In Aede Divorum

Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ.

Die Sacro

DIVÆ CATHARINÆ

ORATIO I.

habita

Annô MDCCLVIII.

MIratus ſum ſæpe ac vehementer, Rector Magnifice, Senatus Academice, cæteriqué Viri ornatiſſimi, quid eſſet; quod cùm olim tot ho-

mines divini, nunc in æternis illis beatorum ſedibus collocati, ea, dum viverent, pietatis, doctrinæqué laude cæteris mortalibus antecellerent; ut nulla vitæ ſanctioris imago, nullum probioris ſpecimen virtutis, nullum Reipublicæ literariæ patrocinium ac tutela major, quàm eorum, aut quæri, aut à quopiam cogitari poſſet: tamen è tanto ſapientiſſimarum mentium ac beatarum agmine, hæc una ſtudiis noſtris Virgo Præſes et Patrona ſit à Majoribus conſtituta, quæ neque ob ſanctimoniam vitæ, neque ob ſapientiæ magnitudi-

tudi-

tudinem, nec denique ob celebritatem nominis cæteris esset anteponenda. Nam quoties intendebam oculos ad maximam illam sapientissimorum in Christi Ecclesia Doctorum frequentiam et multitudinem: quoties illam Basilii, Gregorii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, et complurium aliorum admirabilem doctrinam pari cum probitate vitæ sociatam mecum animo reputabam; non facilè illud intelligebam: cur hi festi dies, hæ solemnes acclamationes, hæc pietatis indicia et religionis, non potiùs cuiquam eorum fuerint de-

creta; ut quorum præſidiis non aliquot viri, ſed confertiſſimæ inimicorum acies; non ſeptuaginta Philoſophi, ſed innumeræ Hæreticorum copiæ ſunt profligatæ; eorum et ſingulari patrocinio niteretur Reſpublica literaria, et exemplis ad paria facta accenderetur. Quò mihi res eadem tantò videbatur æquior et convenientior, quantò hæc ipſa divinorum hominum doctrina probitaſqué in controverſiam à nemine vocata, certiſſimis conſignata monumentis univerſæ Ecclesiæ clarior perſpectiorqué eſſent: hodiernæ

au-

autem Virginis vitæ et fà-ctorum veſtigia tam leviter à ſcriptoribus Veteribus ſint preſſa, ac propterea à pleriſqué ſapientibus hac tempeſtate viris in dubium adeò, et contentionem revocata; ut demum an primis Eccleſiæ temporibus Virgo hoc Catharinæ nomine nuncupata vixerit, lis magna hodie ac diſceptatio ſit. Verùm cum hæc atque alia AA. mecum ipſe diligentiùs conſiderarem, atque ejuſmodi quæſtionem totam, quæ de nomine, dequé genere ac familia magis, quàm de vita rebuſvé geſtis inter eruditos viros agitata

erat, eorumdem doctiſſimorum hominum teſtimoniis decretam eſſe non ignorarem: illud mihi tandem compertum eſt; non accidiſſe temerè, nec ſine cauſa, ſed divino quodam conſilio proviſum eſſe; ut in tanta beatorum Doctorum copia, quibus hodierna Virgo Catharina etſi nequé ornamentis doctrinæ, neque famâ nominis, nequé ubertate virtutum rerumqué geſtarum videretur jure aliquo præferenda; tamen hæc Patrona Præſeſqué ſtudiis veſtris ſit delecta. Cùm itaque ſapienter id à majoribus factum animadverterim, res

erit

erit, ùt ſpero, digna hujus diei celebritati, huic Juventuti, hiſqué Auditoribus accommodata, omnibus,qui adſunt, ad cognoſcendum grata et jucunda; ſi ejus rei cauſas hodierno die explicavero, ac breviter aperuero vobis: cur ex innumeris cœlitum beatorum cætibus hæc Diva Virgo maxima ſit vobis religione ac pietate celebranda. Quare vos oro atque obſecro, ut iſtam ipſam alacritatem animi, quam in concinendis ejus laudibus declaratis, de eis mihi apud vos verba hodie facienti præbeatis.

Si deligendorum Patronorum,

rum, festorumque dierum à summis Christi in terris Vicariis institutorum, hæc ratio et consilium semper fuit, Auditores: partim ut ad persequenda pro suo quisque modulo eorum vestigia incitaremur: partim, cùm eos maximâ valere gratiâ apud DEUM intelligamus, ipsorum difficillimis in rebus efflagitaremus opem: tres omninò erant in cœlesti illa Republica civium beatorum cætus, è quibus sanctissimi tutores ac defensores tum ad exemplum juvenili huic indoli, tum in literis ad patrocinium deligendi erant. Primus eorum:

rum: qui cùm in vita omne virtutum genus cosectarentur, tum potissimùm ejus, quæ et pulcherrima est, et ad juvenum imitationem maximè accomodata, castimoniæ excellentiam tantòperè adamârunt; ut omnibus superatis difficultatibus, illibatum pudicitiæ suæ florem in cœlum intulerint. Eorum alter: qui admirabili scientiarum splendore et pulchritudine capti, in eo omni ope et industria elaborârunt, ut insignis intelligentiæ vi et magnitudine cæteris omnibus antecellerent: qui tametsi præstantissimarum artium scientiam

maxi-

maximis virtutum ornamentis cohoneſtâſſent; tamen ob illius præſtantiam magis, quàm propter intemeratæ vitæ innocentiam celebrati, tutiſſimo ſemper ac firmiſſimo Reipublicæ Chriſtianæ quemadmodum in terris, ita nunc in cœlis præſidio in literis eſſe poſſunt. Ac poſtremò illorum: qui utriuſqué ſplendorem admirantes, ita utrumqué divina virtute ſociârunt; ut et vitæ ſingularem innocentiam pari ſapientia exornârint, et hanc maxima integritate vitæ, quaſi quodam clypeo munivérint. Et primus quidem, alterqué cœlitum ordo quàm

latè

latè pateat, intelligitis. Quis enim ſi vel illos caſtiſſimarum Virginum, juvenumqué choros: vel hos ſapientiſſimorum Doctorum cætus mentis oculis perluſtrare velit, non maximam utriuſqué ordinis cœlitum videat multitudinem: ac modò admirabilem caſtitatem Agnetis, Cæciliæ, Anaſtaſiæ, Agapiti, Rufi, Heliodori; ac cæterorum: modò Hieronymi, Auguſtini, Gregorii atque aliorum ſapientiam non magnoperè demiretur. At enim qui ornamento utriuſqué rei omnibus hominibus præſtitiſſent: qui ſapientiam cum

integritate vitæ, cum doctrina innocentiam, cum omnium ſcientiarum laude illibatam puritatem divino quodam fædere ſociâſſent; hæc demum utraque virtus pauciſſimorum adeò fuit hominum; ut ex immenſo illo civium beatorum agmine, vix aliquorum conſignata veteribus monumentis nomina edere poſſimus. Conjicite itaque oculos, Auditores, illos pietatis ac religionis pleniſſimos in hanc Virginem caſtiſſimam ac ſapientiſſimam Præſidem noſtram; ita, credo, ſtatuetis: ex hoc triplici hominum olim divinorum genere, qui

in primis Eccleſiæ incuna-
bulis maximâ ſive innocen-
tiæ, ſive ſapientiæ famâ
Chriſtianum orbem com-
plêſſent; exſtitiſſe hanc u-
nam, quæ ita utrumqué co-
pulârit; ut ſi hæc feſta lux,
ſolemnis hæc pompa, hi
ſacrorum carminum con-
centus, hæc orationum ce-
lebritas à Majoribus decreta
eſt, jure hanc ei decretam
eſſe intelligatis, quod et
Virgo eſſet et ſapiens. Nam
quantum alterum eorum hu-
ic ætati juvenum conſen-
taneum, alterum ad im-
plorandam in literis opem
quàm ſit accomodatum, et-
ſi hæc res tam clara ſit

at-

atque illuſtris; ut veſtræ mentis oculos nullo modo effugere poſſit; tamen ſi ad hoc rei lumen lux adhuc altera breviſſimæ explicationis acceſſerit; tum enim verò conſtituetis, nihil commodius, nihilqué opportunius conſtitui potuiſſe, quàm quòd ſapiens hæc Virgo Patrona Præſeſqué his juvenibus ſit delecta. Sunt hæc, Auditores, et Pòëtarum verſibus, et Philoſophorum oraculis celebrata commenta, et quemadmodum ipſi nuncupabant ſomnia; imago potiùs certiſſimæ ſolidiſſimæqué rei: duas Adoleſcentum oculis in primo

illo

illo capiendi conſilii, judiciiqué tempore vias objici. Unam difficilem et confragoſam, quâ ſi qui eorum poſthabita difficultate gradi velint, ſuperatis tandem aſperitatibus locorumqué anguſtiis in regionem quandam penetrent beatiſſimam, deliciis et gaudiis omnibus circumfluentem. Alteram complanatam et facilem, ſed quâ improvidus juvenis atque incautus ad quoddam ſervitutis regnum accedat; hoc eſt, acerbitatum atque ærumnarum pleniſſimum. In ipſo illo viarum aditu excubat blandiſſima illa naturæ domina voluptas, ut

ſubeuntium ac deliberantium in hoc bivio atque itinerum flexu animos juvenum anteoccupet; ut fraudibus, doliſqué omnibus ab aſpera illa ad planam facilemquê viam deducat, deductos in ſervitutis regnum ſecum abſtrahat, abſtractos latebris æterniſqué vinculis addicat. Hîc ergo prima juveni pugna ſubeunda eſt: temperantia cum effrænata libidine, integritas cum luxuria, cum voluptate probitas committenda; ac demùm cum ejuſmodi decertandum hoſte, qui quot lenociniis, quot blandimentis ſcelerumqué illecebris, tot

telis,

telis, totqué armis inſtructus eſt; quibus niſi juvenis reſiſtat fortiter æquè ac ſapienter, magnopere eſt metuendum, ne voluptatis fraudibus ac ſtratagematis circumventus, ruat ſub iſtud jugum, ex quo quamlibet ille velit contendatqué, nulla ope deinde abreptum ſemel animum vindicare poſſit. Fortunatum ac beatum omninò Adoleſcentem, qui Circen iſtam obfirmatô animô ſuperârit! At verò, Auditores, difficultatem victoriæ nemo ſatis ponderare poteſt, niſi qui ſecum cogitet: quàm pauci mortalium diſcrimen itineris e-

vadant, et voluptatis insidias; quàm multi ab hac turpissima bellua victi prostratiqué sint; quam ne illi quidem unquam frangere potuerint, qui orbem terrarum universum sub ditionem potestatemqué suam subjecissent: ùt etiam Herculem ipsum in Deorum numerum idcirco relatum, quòd in illo ætatis bivio, contempta ac præterita voluptate, asperam difficilemqué viam juvenis inivisset, aberrâsse tandem aliquando adultum, atque in servitutis, voluptatis scilicet regnum devenisse non sine causa veteres commenti essent.

ſent. Quare cum iidem ſuperſtitioſi homines è tam iniquo itinere, atque è tam difficili prælio neminem ſine duce aut comite incolumem evadere poſſe crederent; ſimulacra, ſtatuaſqué Sybillarum, et caſtorum juvenum effigies, qui ſibi aliquando hanc aperuêre viam, puerorum oculis objectabant: utque his comitibus gradederentur, his ducibus cum voluptate fortes dimicarent, hortabantur. Quid exſpectatis Auditores? Si ſuperſtitio, ſi ſomnia hæc hominum divinæ lucis ac veritatis expertium, ad rem tantum ponderis et momen-

ti habuerunt: ac ſi fides, ſi Chriſtiana religio, ſi vera Chriſti oracula ad cœleſte illud ac beatiſſimum regnum aſperam nobis difficilemqué viam exhibent; quæ voluptates reſpuit, quæ cupiditatem comprimit, quæ omnis eſt libidinis expers: potuitné in tam lubrico anguſtoqué itinere, et in ætatis tam periculoſæ flexu, ùt illa eſt adoleſcentia, quam innumeræ voluptatum illecebræ, et quotidiana lenocinia circumſtant; potuitné, inquam, clarior fortitudinis dux pudicitiæqué deligi, quàm Virgo, quæ delecta eſt? Agite obſecro, a-

do-

dolescentes: intendite paulò oculorum aciem non ad Sybillæ cujuspiam superstitiosæ, sed ad illam, quàm hodie ista religione circumfertis, divinæ Virginis Catharinæ effigiem, singularis innocentiæ puritatisqué indicem: et cujus Ducis, cujus Præsidis vestigia vobis persequenda sint, memoriâ repetite. Fuit illa hac ætate, quæ vitæ flos est, scilicet annum octavum supra decimum nondum egressa: ea corporis specie, quâ non cum Lucretia illa, Helena, aut Lavinia, à Græcis Latinisqué scriptoribus celebratis, sed cum Rebecca,

Rachele, Juditha, Abigäéle meritò esset comparanda. Quare quod et in isto ætatis flexu, et in hac dignitate venustatequé oris accidere necesse est, huc ruebat hostium vis, huc illecebrarum cohors, huc omnia voluptatis scelerisqué irritamenta convolabant. Nihil non movit Maximinus, quo constantiam Virginis labefactaret, ac de concepto integritatis proposito, si non ad flagitium turpitudinis, certè ad Regii thalami societatem pertraheret. Sed Frustra hæc erant omnia. Non ludi publicè in foro decreti, non regii amplitu-

do patrimonii, non lenocinia voluptatum omnium, non propositorum vis tormentorum, non deniqué crudelissimæ mortis acerbitas de suscepta voluntate castissimam Virginem depellere potuerunt: omnia vincula, omnes laqueos sceleris ac turpitudinis facilè perfregit ac perrupit. Sponsa sum, inquit, sed ejus, qui me dira morte à sempiterna morte vindicavit: ejus legibus parendum est: quæ si vitæ mihi periculis hac luce defendendæ sunt, libenter hunc spiritum, à quo accepi, eidem reddam sponso meo. Admirabile enimverò forti-

titudinis exemplum, ſpecimenqué pudicitiæ! Quid hic tandem eſt, adoleſcentes, quod hac Virgine duce ab eodem, quem tenetis, intemeratæ, atque innocentis vitæ curſu vos aut retrahere aut remorari poſſit? An ætas hæc infirma et imbecillis? At ſtatim, ùt nata eſt, diem ad uſqué ſupremum eum tenuit Catharina. An hæc proclivis ad malum indoles et natura? At omnes indolis et naturæ impetus ſuperavit Catharina. An difficultatem pugnæ, quæ cum hoſte domeſtico, cum his ipſis corporis ſenſibus diu ge-

gerenda eſt, pertimeſcitis? Iſthæc Virgo tenella, molliter educata, non timuit Catharina. An præpediet illecebrarum vis, an exempla corruptelarum, an voluptatum lenocinia, an ſtimuli, an incitamenta malorum? At iſtos laqueos, hæc omnia vincula dedecoris et improbitatis perfregit, perrupit, disjecit Catharina. Omnis omninò hujus Virginis exemplô dubitatio ſublata eſt: hanc viæ vitæqué veſtræ comitari ducem: eam intueri animo: ejus ſimilitudinem quandam atque effigiem caſtiſſimâ vitâ, integerrimis moribus vos

ex-

exprimere oportet. Id enim pietas, id hodiernæ diei celebritas, id inſtituta volunt legeſque majorum et Virginem ad capiendum ſingularis innocentiæ exemplum, et ſapientem ad implorandam in literis opem hodiè vobis proponentium. Video, Auditores, hanc alteram orationis meæ partem multò, quàm cogitarem, in pauciora mihi eſſe contrahendam. Nam et ego paulatim dicendo eò provectus ſum, ut jam fortaſſe modum juſti temporis exceſſerim: et vos haud ita ignaros puto rei dicendæ, ut, ſi ego nihil dicerem, tametſi dicam

cam aliqua, tamen vel me tacente non facilè ipſi intelligatis, qua opportunitate factum ſit, ut ad tutelam et patrocinium literarum Virgo ſapiens ſit delecta. Nam ſi quemadmodum in terris apud Principes; ita in cœlo apud Deum Maximum eos cauſæ noſtræ Patronos, defenſoreſqué adoptare ſolemus; quos partim ei cariſſimos, partim nobis aut genere, aut ſtatu vitæ, aut rerum earundem neceſſitate, vel quoquo modo ſimiles aliquando exſtitiſſe accepimus: eccubi nos tandem difficillimis in rebus, in literis, ſtudiiſqué noſtris

quæ-

quærere portum ac refugium æquiùs erat; quàm apud Virginem ſapientem, cœleſtis doctrinæ Magiſtram, divinis beneficiis, maximè exornatam. Tené ego ſcilicet divinâ ſapientiâ afflata Virgo, præſidio Reipublicæ literariæ defuturam putem? quæ, quantum ad communem Chriſtiani populi ſalutem, quantum ad religionis ac fidei tutelam, quantum ad ſupremæ illius divinæqué naturæ intelligentiam et laudem ſalutares ac neceſſariæ ſint literæ, admirabili tuo id exemplo declaraſti? An tuam cœleſtis Philoſophiæ lucem non ignorantiæ no-

ſtræ

ſtræ tenebras diſſipaturam? quâ ſeptuaginta ſapientes viros, quâ Reginam Maximini conjugem, quâ Porphyrium militiæ ducem, ducentoſqué cum Imperatore milites illuſtrâſti uno tempore, atqué à ſacrilegis erroribus ad unius veri Dei cultum traduxiſti? An tuas utiqué ſupplices pro nobis preces non maximum pondus ac momentum apud Deum habituras putem? Sed quis credat Deum Optimum, qui ſæpe multis rebus et mirabilibus ſuam vim atqué Numen oratu cœleſtium declarare ſolet, non ei Virgini omnia conceſſu-

rum,

rum, quàm cum vel inter mortales esset, tantopere adamavit, ut, quæ vel nemini unquam sanctissimorum hominum, vel singulis impertivit singula, hæc in Virginem unam beneficia contulisset. Mitto illam divinam curam inclusæ in arctissimo carcere Catharinæ certis per diem horis alimenta obsequiô columbæ subministrantem: mitto splendorem illum repentè et circum undiqué, in quo detinebatur, collustrantem specum: illum erumpentem è venis, resoluto ferro jugulo, candidissimum liquorem lactiqué simillimum: cum Ange-

ge-

gelorum operâ factum in monte Sina ejus corpori tumulum: hanc depellendis mortalium morbis inditam sacris ejus ossibus virtutem: atque ejusmodi innumera divinitùs Catharinæ concessa dona. Meminisse vos arbitror istam ipsam divinæ sapientiæ vim in Catharina enituisse tantam, quanta nemini mortalium adhuc à Deo data atque impertita esset. Nam cæteros quidem sapientissimos in Ecclesia Viros Augustinum, Hieronymum, Gregorium, Basilium, atque alios maximô studiô et contentione ætatem in literis exegisse

accepimus, utqué doctrinæ ſibi laudem compararent, Athenas, Romam, Rhodum, Italiam, Palæſtinam, et disjunctiſſimas regiones ſtudiorum causâ perluſtrâſſe: hæc intra mœnia unius urbis, nullo Præceptore uſa, nullis antehac diſciplinis inſtituta, tantam divinarum humanarumqué rerum intelligentiam acquiſivit; ut de illa immenſa luce ſplendorequé, vi maxima ingenii de Deo Optimo diſputâſſet. Illi, cùm de ejuſdem æternæ mentis natura atque excellentia diſputaverunt; qua oratione conſequerentur, quibus ver-

bis

bis exprimerent, nulla id ope humana, nulla induſtria efficere ſe poſſe crediderunt: hæc tantâ eloquentiâ expreſſit, ut obſtinatiſſimos homines mirabili ſuavitate verborum obſtupefactos fædæ ſuperſtitionis conviciſſet, convictos à dæmonum ſervitute in Chriſtianam libertatem vindicâſſet. Illi, cùm hæreticos hominesſqué à vera religione alienos in Eccleſiæ Catholicæ gremium reducebant, multa meditati, multiſqué commentationibus parati prodibant in aciem; hæc imparata Virgo, paratos exercitatoſqué viros vicit, fregit, feliciter admo-

dum ſuperavit. Quâ hæc tandem operâ viribus hominum omnium majora tenendiram Virginem perpetrâſſe dicam Auditores? Divinum, divinum profectô munus erat, quô ad ſublimem illam atque altiſſimam cœleſtium rerum intelligentiam pervenit: divina gratia, quæ ad declarandam ſuorum operum magnificentiam ex ſanctiſſimis ac ſapientiſſimis in Eccleſia ſua viris eam ſibi delegit ſedem: divinum conſilium fuiſſe oportebat, quô factum eſt, ut ad exemplum efferveſcenti adoleſcentiæ puriſſima et intemerata: ad tutelam ac patroci-

trocinium literarum ſapientiſſima, Deoqué cariſſima Virgo Patrona vobis conſtituta eſſet. Jam quid reſtat, niſi ut omnes, quotquot hunc feſtum veſtræ Præſidis ac Patronæ diem læti alacreſqué agitatis, vos orem atqué obteſter: ſi unquam majorum veſtrorum auctoritati cenſuiſtis aliquid eſſe tribuendum; aut ſi nôſtrum hunc Oratorum laborem et conatum ullô præmiô exornari oportere judicâſtis: ut hoc exemplar innocentiæ, hoc ſpecimen veræ virtutis, hanc imaginem vitæ integerrimæ apud animum noſtrum frequenter

proponamus, ipſiuſqué opem ad impetrandam nobis à Deo veram ſapientiam flagitemus. Nequé enim quidquam cogitari aut fingi poteſt vitæ noſtræ rationibus accomodatius, ad delectationem jucundius, ad honeſtatem pulchrius, ad veram utilitatem atque emolumentum ſalutare magis; quàm, quorum celebramus nomen, eorum nos et imitari facta, et patrociniô defendi; atque ita vivere, ut digni illis, digni majorum gloriâ, digni Optimo Deo videamur. Tu verò Beatiſſima Virgo, & ſtudiorum, & vitæ noſtræ moderatrix ac Præſes, quæ

uni-

univerſum Chriſtianum orbem in admirationem tantæ tuæ virtutis, & innocentiæ convertiſti: quæ incredibili ſapientiâ tam olim magna, tam admiranda, tam inaudita perpetrâſti, ut nequé ulla cujuſquam hominis ingenii vis hæc efficere, nequé mens quidem et cogitatio ſatis capere poſſit: quæ nunc ad immortales regiones evecta aſpectu læta perfrueris auctoris tui: Tu, tu Virgo ſanctiſſima opitulare tuis precibus iis, qui tuô ſemper patrociniô ſuſtentari volunt: obtine à Chriſto nobis tuæ ſimilem ſapientiam, tuæ ſimilem vitam: ut iiſdem

vestigiis inhærentes ad eandem metam perveniamus; atque in cœlesti illa civitate ac sempiternis beatorum sedibus collocati Deum Parentem nostrum læti perpetuò hilaresqué tecum contemplemur. *Dixi.*

De Be-

De Beata Virgine

CATHARINA

Magiſtra Philoſophiæ Chriſtianæ

ORATIO II.

habita

Annô MDCCLVII.

SI quis Veſtrûm fortaſſe putet, Rector Magnifice, Senatus Academice, cæteriqué Viri ornatiſſimi, me hodierno die ad dicendum idcircò ſur-

re-

rexiſſe: ut eorum more, qui ex hoc loco, atque eo tempore verba facere conſueverunt, aut omnes caſtiſſimæ Virginis Catharinæ laudes, & ſingula divinarum illarum virtutum ornamenta ſolemni atque integra oratione cohoneſtem: aut vos Muſarum alumnos ad cultum veſtræ Præſidi ac Patronæ literarum, debita religione tribuendum cohortari & inflammare contendam: is profectò fallitur, et à conſilii mei ratione longiſſimè aberrat. Quæ enim hujus Virginis fuerit vitæ ratio, quæ integritas morum, in acerbiſſimo tormentorum genere

pro

pro Chriſti fide ſuperando, quàm eximia fortitudo; hoc unicuiqué veſtrûm cùm ex aliis, tùm ex illa quotannis laudatione conſtare ſatis exiſtimo: à me verò tantam virtutem ex æquo laudari poſſe deſpero: jam autem, quæ in veſtram Tutelarem ſit pietas, id planè video. Quid enim ſacra hæc ſolemniſqué pompa, quid hæ feſtivæ acclamationes, quid ille Juvenum ſacrum carmen modulantium concentus; niſi amorem ac pietatem declarant. Quid igitur à me rectiùs et opportunius excogitari potuit, quàm ut perbrevi hodiernæ Virginis laudationi aliud

ud adnecterem, quod et maximè hujus diei celebritati consentaneum, et à loci majestate non alienum, et quantum vestra mihi studia perspecta sunt, vobis videretur non ingratum. Dicendum enim est de vera ac Christiana Philosophia, cujus eximia quædam species in Virgine Catharina elucebat: et in eo loco dicendum, in quo cùm cæteræ nobilissimæ artes, tùm illud imprimis Philosophiæ genus sedem sibi delegit ac domicilium, primumqué suæ gloriæ fructum in hac olim Urbe de victo fugatoqué Zvinglio reportavit: postremò,

quod

quod ego maximum duco, apud vos dicendum, qui pulchritudinem ejus in tanta ſcilicet hac ætate Philoſophorum gloria et contentione non adamare, plurimiqué facere non poteſtis. Quare vos breviter oro atque obteſtor: ut mihi prima orationis parte de perfecta Chriſtiani Philoſophi forma diſſerenti: alterâ perfectam ejus Philoſophiæ ſtatuenti Magiſtram Virginem Catharinam, benevolentiam tribuatis veſtra humanitate dignam.

Atque ego quidem cùm ejuſmodi Philoſophiæ perfectionem mecum reputo, vere-

reor, ne ùt divinus ille Plato civitatem, aut M. Tullius Oratorem ſuis monumentis expreſſum poſteris reliquerunt: ſic ipſe vobis ante mentis oculos ejuſmodi Philoſophum ſtatuam, qualis neque antè fuit, neque olim niſi divinitùs inſtitutus exiſtet. Etenim ſi in cæteris artibus paulò facilioribus tantam nihilominus veteres perfectionem deſiderârunt; ut ad earum plenam ſolidamqué intelligentiam diuturnam atque integram ætatem brevem eſſe, ac nemini ad eam pervenire licere crediſſent: quantam huic ego diſciplinæ excellentiam ineſſe dicam,

quæ

quæ verè ac propriè ſapien-
tia appellatur? Verùm quem-
admodum celſiſſimæ turri-
um moles magnis diſtanti-
bus intervallis tam exiguæ
eſſe videntur; ut vix ocu-
lorum aciem non effugiant,
ubi verò proximè ſumus,
tum demùm quantæ illæ ſint,
& quàm latè emineant,
conſpiciuntur: ita quàm ſu-
blimis ſit Philoſophiæ alti-
tudo et majeſtas, niſi pro-
piùs animô intueamur, co-
gnoſcere noſtrûm nemo po-
teſt. Cogitate igitur me-
cum, Auditores, veram il-
lam, Chriſtianam ſcilicet
Philoſophiam duabus rebus
imprimis arduis ac difficil-
limsi

limis contineri: quarum altera in contemplatione, hoc est rerum causarumqué investigatione: altera in actione, hoc est vitæ ac morum honestate est posita. Ac primi quidem generis studium quàm latè pateat, nemo non videt. Quot enim et quanta cœlo, terrâ, mariqué occurrunt: tam volubiles et indefessæ machinæ, tam perplexæ adversæqué singulorum corporum naturæ; earum rerum omnium benè subacta ac plena cognitio ad eum necessariò pertinet, qui in ejusmodi studio assequi laudem aliquam,

ac de uniuſcujuſque rei cauſis et origine rectè ſolidequé diſceptare cupit. Jam ſi nemo hominum ad hunc diem fuit, qui aut ventorum, aut maris æſtus, aut gravitatis cauſas, vel lapidis magnetici ad cœleſtem polum converſiones certò ſtatuere, et clarè explicare potuiſſet: quanti negotii id eſſe dicam, naturæ univerſæ, omniumqué rerum, quæ oculis obverſantur, quæqué è terra, vel ex conflictu elementorum gignuntur, principia cauſaſqué penitùs abſtruſas ac latitantes perſequi: quoquomodo quid

G pro-

procreetur ; quoquomodo intereat, ediſſerere : aut quæ ſit cœlorum ratio, qui ſiderum concentus, quæ perennes orbium conver-ſiones, id verè ac dilucidè explicare ? mihi verò ipſa præſidia ad earum rerum contemplationem neceſſaria perpendenti, ea ſeſe objiciunt maxima ac propè innumera. Quanta enim ingenii acies, quàm aſſidua meditatio, quæ in explicando facundia, quanta vis et ſubtilitas in controvertendo, quàm varia et multiplex opinionum cognitio, quanta in his omnibus judicii gravitas, ut veriſſi-

mum

mum quodque amplectatur, Philoſopho eſt neceſſaria? Quæ ſingula ſi quis paulò ſecum diligentiùs recogitârit, deſinet profectò mirari veteres illos Philoſophos, qui ætatem omnem maxima contentione aſſiduiſqué vigiliis in ejuſmodi ſtudiis exegerunt; cùm tamen ad plenam perfectamqué Philoſophiæ intelligentiam pervenire non potuiſſent, doluiſſe multos. Sanè Ariſtoteles poſteaquàm ſub diſciplina Platonis in Philoſophiæ ſtudio ipſos vicenos annos tantâ diligentiâ collocâſſet, ut ne horam quidem ab ejus ludo

abeſſe diceretur; tum demum Philoſophum ſe Tyronem nuncupavit. Themiſtocles verò ille Philoſophus, cùm ſeptem ac centum annos, quibus vixit, in perpetua Philoſophiæ contemplatione maxima aſſiduitate explêſſet, morti accelerati proximus: ſe nimis dolere dixit, quòd tum deſereret vitam, cùm Philoſophari cæpiſſet. Tanti nimirum eſt, Philoſophum, virum ſcilicet eſſe ſapientem, naturæqué univerſæ interpretem. Sed, agite quæſo, Auditores; hominem ejuſmodi, cujus perfecta rerum omnium cognitio, cujus

cujus hæc vera ſapientia pectus complêrit, animo et cogitatione fingite: quid? Philoſophi illum ejuſqué Chriſtiani nomine dignandum quis putet? At enim ipſi illi vanæ religionis Philoſophi vitæ ac morum probitatem ita cum Philoſophia conjungebant; ut nullum unquam in animis hominum veræ virtutis ac ſapientiæ diſſidium admittendum putârint. Nequé enim M. Tullius quidquam aliud Philoſophiam, niſi medicinam animi eſſe dictitabat: quæ vanas detrahat ſolicitudines: quæ cupiditatibûs liberet: quæ com-

comprimat turbulentos motus: quæ ſit vitæ dux, virtutis indagatrix, ſcelerum expultrix: quæ denique doceat vitam Philoſophorum debere perpetuam eſſe mortis commentationem. Plato autem ipſe morum et doctrinæ Princeps univerſam Philoſophiam modò virtutis divinæ ſpeculum; modò Dei ſimilitudinem appellabat; propterea, quòd probitate maximè ad æternam illam ac beatiſſimam naturam accedamus: cumqué idem aliquando Philoſophum improbis moribus offendiſſet, nihil inutilius ac turpius eſſe dixit, quàm vi-

tam

tam ita inſtituere; ut cum ea cohærere doctrina nullo modò poſſit. Rectè enimverò. Virum enim ego improbum ac ſceleratum ad nobiliſſimæ facultatis uſuram aliquid ponderis habiturum putem? Aut illam diſciplinam virtutis comitem, ſive vitæ ducem futuram, à cujus legibus et præceptis, idem ille, qui hæc tradat, longiſſimè aberret? Aut ejus hominis doctrinâ ad probitatem aliorum animos informari poſſe, qui non argumentô, ſed opere, non voluntate diſſentiendi, ſed agendi iniquitate, non ratio-

nis pondere, ſed turpitudine vitæ, eadem, quæ aſſerat, neget? Quare in eorundem Philoſophorum lycæis tantum Philoſophiæ ac ſimul virtutis ſtudium fuiſſe conſtat; ut nemini inde egredi liceret, qui non in illa virtutis Palæſtra altiùs provectus eſſet, atque omni probitatis genere luculenter inſtructus. Nam ut omittam loquendo nunc de ſingulis recordari, et, an quiſquam mortalium vel Socrate temperatior, vel Anaxarcho, et Platone, et Epicteto fortior, aut divino Seneca, vel innumeris illis de Stoico-

rum turba Philoſophis omni virtutum laude ornatior unquam fuit, hoc loco commemorare: quid? potuitné aliquis majus aut fortitudinis, aut probitatis exemplar poſteritati relinquere, quàm Democritus ille reliquit; qui cùm diu ejuſmodi vivendi rationem ſecutus eſſet, ut animum à corporis imperio quaſi ſejunctum atque emancipatum haberet; oculum utrumque ſibi, quòd illum in virtutis ſtudio eſſe aliquantum impedimento ſentiret, ſua ipſe manu eruit, ſine ulla doloris aut gemitûs ſignificatione, non a-

li-

liter, quàm qui lumina fenestrarum aut attollunt, aut deprimunt. Mirandum profectò facinus ac posteritatis memoriâ dignum! I modò Christiane Philosophe, atque illud virtutis studium, in quo priscæ superstitionis sectatores, veri Numinis æternæqué ignari beatitatis, sola popularis auræ cupiditate tantoperè eminebant, non ad te pertinere dicito! At verò, Auditores, nisi cum Philosophia vitæ morumqué probitatem admittimus in societatem, ne dicam de hac ipsa nobilissima disciplina, sed de universa Republi-

ca

ca Chriſtiana actum eſt. Habet hoc nimirum quarumlibet bonarum artium intelligentia, ut, cùm eâ improbi ac ſcelerati viri ſunt imbuti, quæ per ſe eſt maximè ſalutaris, ſi à virtute ſeparetur, evadat longè omnium pernicioſiſſima. Repetite memoriam ſuperiorum temporum, quibus homines illi quidem bonarum literarum præſidiis inſtructi, ſed furentes audaciâ, ac virtutis Catholicæ immemores, amiſſis rectæ rationis gubernaculis, peſtem Eccleſiæ nefariè moliebantur; ita, credo, ſtatuetis: hæc omnia tela, qui-

bus

bus Christiana Religio ea tempestate miserè exposita fuit, ab improborum Philosophorum turba fuisse conjecta. Tuam ego Luthere sapientiam non vastitatem Christianæ Ecclesiæ intulisse dicam, quæ ab homine flagitiosissimo ac fædissimæ impuritatis ignominiâ notato est profecta? An tuam perfide Zvingli pollutam vitiorum maculis doctrinam, atque olim hacce in Urbe non in gymnasiis et exedris, sed in lustris ac popinis disseminatam? An tuam Calvine bonarum artium intelligentiam, pariter inhonestæ vitæ, atque eti-

am

am cenſoriæ ſeveritatis notâ publicè inuſtam? Mitto illam turpiſſimorum hominum ſimilem colluvionem, quorum nomina unà cum peſtiferis opinionibus ipſa jam vetuſtate ſunt exoleta: Montanum ſcilicet, Sabellium, Arium, Manem, Eunomium, atque illum Chriſtianæ Religionis deſertorem Julianum, alioſqué penè innumeros hæreticorum noſtræ ætatis anteſignanos: in quorum altero temperantia, pietas ac juſtitia in alio, in hoc prudentia, conſtantia et fortitudo in illo, Philoſophicæ imprimis virtutes deſidera-

ban-

bantur. Atque utinam hoc loco, Auditores, liceret mihi per tempus improbæ huic Philoſophorum turbæ homines utraque laude florentiſſimos Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, Cyrillum, ſexcentoſqué alios objicere; et pios cum impiis, religioſos cum ſceleratis, cum falſorum dogmatum Authoribus veræ ſapientiæ magiſtros conferre: ut quantam ab eorum doctrina vitiorum ſordibus coinquinata Eccleſia cladem accepit, tantum Philoſophiam iſtorum ad leges optimæ vitæ conformatam Chriſtianæ rei incrementum attu-

tulisse multò planiùs constaret. Intelligeretis, opinor, viri ornatissimi, id, quod sine me quoque intelligitis, veram ac perfectam Christianorum hominum Philosophiam, hoc est, scelerum expultricem ac vitæ ducem, eam esse: quæ de hostibus Ecclesiæ maximè triumphet: quæ alios ab impietate ad sanctimoniam, à superstitione ad religionem, à turpitudine ad honestatem, et doctrinâ, et exemplô traducat; quæ ipsum hominem reddat omni probitate illustrem, temperatum, comem, sibi semper constantem, firmum in

omni-

omnibus vitæ periculis, atque adeò in ipſa morte imperterritum. Verùm cùm et ratio temporis, et jam veſtra me ſatietas moneat, ut quæ duo prima orationis parte ſum complexus, ea in hodierna Virgine Catharina, veluti in ſpeculo quodam nitidiſſimo demonſtrem: agite, videamus utrumque. Ac primùm quidem quò illam Philoſophiæ partem, quæ ſapientia appellatur, planiùs in Catharina perſpiciatis: repetite, quæſo, memoriâ celebre ac pervulgatum illud Alexandriæ veteri ac nobili in Ægypto urbe cum Philo-

ſo-

ſophis certamen, de re maximi ponderis ac momenti, de Deo ſcilicet Trino et Uno. Prodeunt hîc in aciem ſeptuaginta facilè viri, homines in literis maximè verſati, atque omni eruditionis genere inſtructi, non minùs ipſi bonis artibus, quàm gratiâ Cæſaris Maximini ac ſuâ ſuperbiâ freti, ad omnia tum humana, tum divina pro libidine commiſcenda expediti. Atque ubi cum Virgine viribus infirma, tenerrimo ſuffuſa pudore, et vix pueritiam egreſſa dimicandum ſibi vidiſſent, tum demùm ante pugnam de victoria ſecuri: Adeone, inquiunt, impudens es, ac men-

tis inops, ut quòd ratio, quod
consensus universi orbis,
quod sacra religio majorum
atque instituta probant; una
tu imbellis atque ignava u-
niversum Deorum cætum im-
piô atque inauditô sacrile-
giô exsibilare audeas? At e-
nim, quoniam ratione Phi-
losopho certandum est, tan-
tamné ac tam immanem Cœ-
li terræqué molem ab una
aliqua mente gubernari pos-
se, nisi amens quis arbitre-
tur? Nam illud, ut tam ad-
versa hominum studia con-
trariæqué curæ, tam ingen-
tes rerum belli et pacis, ful-
minum ac serenitatis, pro-
speritatis atque ærumnarum
vicissitudines ab uno Deo
pro-

proficiſcantur, nemo ſanæ mentis crediderit. Enimverò non mens, non animus illi eſſet, quem tanta ac tam diverſa negotiorum moles mille in partes diſtraheret, atque illam beatitatem, quæ tota in quiete eſt poſita, eriperet. Nos autem ùt in humana Republica, quæ cæleſtis ſpecies eſt quædam atque imago, adminiſtros Imperatori, ita in Deorum cætu ſupremo Jovi, Mercurium, Saturnum, Martem, cæteroſqué regiminis ſocios atque adjutores adjungimus, alioſqué ſtatuimus Deos ſecundarum rerum, alios calamitatum auctores. Sed ain verò? ſi illam æternam mentem Deumquê ne-

nescio quem unum tecum impiè veneramur, tum nos æqui Judices Ægyptiorum, Persarum, ac Syrorum cunctarumqué sapientissimarum ac vetustissimarum gentium stulta placita damnamus? tum majorum religionem, omnium Flaminum sententiam, omnia oracula convellimus: illicò subruimus aras, templa Deorum immortalium, statuas, focosqué innumeros subvertimus? En consilium! En pietatem! Quid verò ad tam impias barbarasqué voces sapientissima Virgo Catharina? Nolo equidem, Auditores, nec facultatis ac mearum virium id esse intelligo, imitari ver-

bis

bis et oratione, quæ nulla cujuſquam mens et cogitatio quantumlibet ſublimis atque acuta ſatis aſſequi poteſt. Tanta fuit vis in reſponden-do, tantum argumentorum ac rationum undique peti-tarum pondus gravitaſqué; ut non diu certaminis exitus ſuſpenſus eſſet. Admirabili eloquentiæ vi obſtupefactos, et elingves repentè mutoſqué redditos, cùm neque fugæ locus, neque pugnæ daretur facultas, turpiſſimæ ſuperſti-tionis ita convicit; ut quæ modò ſtulti et inſipientes ri-debant Philoſophi, mox ea veræ Philoſophiæ lumine colluſtrati probaviſſent, re-jectiſqué ſacrilegis ritibus, à

dæmonum ſtipendiis ad Chriſti ſigna convolâſſent. Quòd profectò ſapientiæ unius Virginis monumentum etſi tale ac tantum ſit, Auditores, ut nullum majus aut eſſe, aut à quopiam cogitari poſſit; tamen non iis ſeſe finibus hæc divinæ Philoſophiæ vis continuit, ſed torrentis inſtar rupto aggere latè exundantis, innumera aliorum pectora incredibili efficacia penetravit. Quid enim tam inexſpectatum eſſe potuit, ac tam ſingulare, quàm quòd tenaciſſimus fædæ ſuperſtitionis homo, maximâ Principis ſui gratiâ florens Porphyrius militiæ Dux, poſitâ contumaciâ, ſpretis

Re-

Regis favoribus, abjectoque ſimulacrorum cultu, Chriſti ſe religioni conſecrâſſet, atque eadem veſtigia Imperatoris unà ducenti milites ſecuti eſſent? Hoc uno tempore, una oratione effecit Catharina. Quæ res civium omnium animos majore ſtupore atque admiratione complere valebat, quàm cùm ipſam reginam Maximini conjugem accepiſſent, contempta regii thalami ſocietate, concitato in ſe vehementiſſimo Regis odiô à majorum religione ad alienam fidem fuiſſe traductam? traduxit Catharina. Quod tandem difficilius opus erat ac magis portenti ſimile, at-

que illos ipſos novitios unius veri Dei cultores ad eandem religionem conſtanter retinendam, ad perpeſſionem cruciatuum omnium, ad mortem ipſam forti invictoqué animo oppetendam exacuere et inflammare? divinæ Philoſophiæ rationibus inflammavit, exacuit Catharina. Quidnam potiſſimùm in tam præclaris ac propè divinis facinoribus miremur, Auditores? illamné in dicendo vim et efficaciam obſtinatiſſimas hominum mentes maxima celeritate penetrantem? an illam rerum omnium intelligentiam, quæ ad ſuperſtitioſas Philoſophorum refellendas opiniones, Deumqué

tri-

Trinum et Unum aſſerendum, à cœlorum ac ſiderum concentu, à rerum ordine, cauſis, et origine petenda erat? tantamné ingenii aciem? an tantum robur et ſubtilitatem in controvertendo? an omnia hæc ſimul non in multis ſed in uno homine, neque in homine ejuſmodi, qui vel per ætatem à natura, vel ſtudiis à doctrina, vel uſu ab experientia paratus eſſet; ſed in Virgine duodeviginti annos nata, quàm et iſthæc ætatis infantia, et doctiſſimorum conſpectus virorum, atque ipſa inſolentia loci confundere aut certè debilitare debuiſſet? Sentio vos tacita admiratione

ne

ne quadam commoveri, atque hæc mente agitare: tam incredibilem ſapientiam non humanis viribus acquiſitam, ſed niſi divinitùs impertitam in hoc virgineo pectore, veluti in Muſæo quodam conſediſſe. Rectè enimverò. Divinam ſapientiam, Divinam Philoſophiam fuiſſe oportebat, quæ res tantas ac tam ſingulares præter ordinem ac ſupra naturæ vim perpetraverit. Ego verò, Viri ornatiſſimi, ſic quoque intelligo: niſi hanc eandem cœleſtem doctrinam, virtute, quaſi clypeô quodam habuiſſet Catharina munitam, non modò barbaros illos Philoſophorum animos neutiquam viciſſet;

ſed

ſed ipſa quoque eorundem obruta telis vinceretur. Ita enim uſuvenire accepimus, ut doctum ſapientemqué virum, quem nulla ratio, nullum adverſæ partis argumentum de ſententia dimovere unquam poterat, niſi probitas, virtus, ac fortitudo comitetur, eum ſepè aut illecebrarum vis frangat, aut periculorum metus. Neque enim deerat ſibi Maximinus, quin utroque horum caſtiſſimæ Virginis animum pertentaret; et jam oblata thalami ſocietate ac patrimonii amplitudine, jam ludis in foro publicè ad ſtatuam decretis, Catharinæ conſtantiam labefactare, et à veri Dei cultu ad impias ſuper-

perſtitiones pertrahere cuperet. Sed quid eorum tanti eſſe potuit, ut integerrimæ Virginis animum perpetua voti religione Deo conſecratum, rerum omnium contemptu nobilem, omnes haſce illecebras præ æternis opibus nihili ducentem, ne dicam, expugnare; ſed infirmare potuiſſet? Certabant enimverò ex hac parte lenocinia, illinc animi moderatio: hinc ſpes bonorum omnium, illinc contemptus: hinc illecebræ, illinc fortitudo: denique libido, impietas, ſuperſtitio, ſceleraqué omnia cum integritate, cum pietate, cum religione, cum virtutibus omnibus præliabantur; ſed vicit tandem virtus

fla-

flagitium, religio impietatem ſuperavit. At ubi conſilium ſpemqué omnem tantæ virtutis expugnandæ ad irritum cecidiſſe vidit Imperator, id quod unum reſtabat, Virginem capitis damnatam, ad deſtinatum ſupplicio locum, pænæqué genus ſubeundum cæteris omnibus maximum trahi extemplò jubet. Quid expectatis, Auditores? fletum aliquem? aut mollem trepidæ puellæ lamentationem, tacitoſvé ſaltem ſingultus, quales ſe fortibus viris levi interdum calamitate circumventis prorumpere ſolent? Sive ut tendat ſupplices manus, genuaqué Maximini circumplexa his oſcula figens,

hæc

hæc lacrymis respergens, hoc squallore et luctu vitam atque incolumitatem deprecetur suam? Imò verò exspectate, quantam vultis, animi fortitudinem, vincet omnem fortissima Virgo exspectationem vestram. En illa non maxima solùm festinatione, non modò hilari lætissimoqué vultu ad supplicium quasi ad hortum quendam properat amænissimum; verùm etiam ubi carnificis dexteram tremere, metuquê exanimari vidit; ignavum acriter intuita lictorem: Macte, exclamat, ô lictor: ecquid tergiversaris? aut cur submissam tibi cervicem præcidere renuis? age, exequere: vitam brevem il-

lam

lam atque caducam imperio Cæsaris sine mora eripe: nam quæ huic me luci horà aufe- ret, eadem me æterno sponsò meo redditura est. O virtu- tem ac fortitudinem animi nunquam satis prædicandam! O veram divinamqué Virginis Philosophiam, quâ et sapien- ter Deos obtrivit inanes, et tormenta omnia, mortemqué ipsam invictô animô supera- vit! At vos Lectissimi Juve- nes, vosqué omnes Musarum cultores, quotquot hunc sa- crum vestræ Præsidis Catha- rinæ celebratis diem; si hanc- ce fuisse unam intelligitis cau- sam, cur è tanto mentium beatarum agmine hæc una ve- stris studiis ac vigiliis Virgo

Pa-

Patrona Præſeſqué à majoribus ſit conſtituta; quòd veræ illius ac Chriſtianæ Philoſophiæ prima eſſet perfectiſſimaqué Magiſtra: quòd et inſigni intelligentia, et mira vitæ integritate omnibus hominibus præcelleret: agite, obſecro, tam præclara piiſſimæ ac ſapientiſſimæ Virginis veſtigia ſecuti ita ſtudia temperate veſtra, ut et virtutem ſapientia, et ſapientiam virtus cohoneſtet. Id à vobis celebritas hodiernæ diei: id veſtrorum cauſa ſtudiorum: id à natura inſita unicuique ratio: id tandem Eccleſiæ, Reiquépublicæ commodum, omneſqué boni, Præceptoreſqué veſtri imprimis flagitant, atque adeò deprecantur. *Dixi.*

Quod fauſtum ac felix eveniat.

Sub auſpiciis

Perilluſtris ac Reverendiſſimi Domini

THOMÆ JOSEPHI

KORSAK

Canonici Cathedralis Vilnenſis EccleſiæEyſzyſcenſis Præpoſiti

publicùm progreſsûs in literis ſui ſpecimen dabunt

Rhetores Academici

è quibus

Princeps Scholæ delectus eſt

JOSEPHUS KORSAK

Filius Vexilliferi Smolenſcenſis

Declamabunt autem

Latinâ ac patriâ linguâ constitutis quatuor diebus Mensis Martii.

Primo die

In genere demonstrativo.

I.

De laudibus Diœcesis sive Ecclesiæ Vilnensis.

II.

De utilitate ac necessitate Eloquentiæ.

III.

De laudibus Vilnensis Academiæ.

Altero die

Exercitationes generis deliberativi.

Sua-

I.

Suadebunt ac diſſuadebunt bellum Xerxi adversùs Græcos

Imitatio patriâ linguâ Herodoti

II.

Deliberabunt

An lex Oppii de abrogando mulierum Romanarum cultu ad earum preces ſit tollenda?

Hiſtoria et imitatio Livii.

Die tertio

I.

Exercitationes Periodorum.

II.

Exercitationes Epiſtolarum.

Die quarto.

I.

Explicabunt orationem Ciceronis, quæ eſt *Divinatio in Verrem.*

II.

Interpretabuntur Saluſtium de Conjuratione Catilinæ.

III.

Horatii ſelectiores Odas carmine vernaculo à ſe redditas recitabunt.

Hæc autem agent:

Joſep: Korſak, Princeps ſcholæ *Filius Vexilliferi Smolenſc:*

Medardus Radowicki, *Pocillator Smolenſcenſis Fil. Præfect. Venat. Volcoviſc.*

Joannes Korſak, *Fil: Vexilif: Smolenſc:*

Dominicus Beniſławſki, *Fil: Dapif: Livon:*

Mathæus Rodźiewicz, *Fil: Pocillat: Pinſc:*

Bonifacius Ancuta, *Fil: Tribuni Starodub:* Vi-

Victor Czechowicz,
Fil: Notarii Terreſtr: Oſzmian:
Thadæus Bohdanowicz,
Fil: Enſiferi Samogit:
Bonifacius Beniſławſki,
Fil: Enſifer: Livon:
Michäél Beniſławſki
Fil: Enſif: Livon:
Andreas Noniewicz
Fil: Præfecti Venator: Liden:
Georgius Dowiat
Fil: Præfect: Venat: Mſciſlav:
Ferdinandus Kołyſzko
Fil: Theſaur. Vilkomir:
Ignatius Drozdowſki
Fil: Excubitor. Vilkomir:
Georgius Jakowicki
Fil: Excubitor. Pinſc:
Jacobus Ręczyńſki
Fil. Excubitor. Smolenſc:
Thadæus Suliſtrowſki
Fil: Præfecti Caſtri Iżycen.

Jacobus Petruſewicz
Fil: Præfecti Tabularii Viln.
Joannes Włodek
Fil. Pincernæ Breſt.
Joannes Truſzkowſki.
Thadæus Niemonowicz.
Jacobus Drozdowſki.
Caſimirus Januſzkiewicz.
Thomas Targońſki.
Stephanus Piotrowicz.
Georgius Szagżdowicz.
Petrus Bratulewicz.
Joſephus Bagnicki.
Ignatius Cieſzeyko.
Antonius Januſzkiewicz.
Andreas Auer.
Michàél Sarośiek.
Franciſcus Auer.
Franciſcus Popławſki.
Laurentius Butkiewicz.
Andreas Woydyłło.
Thadæus Koſzko. Ca-

Caſimirus Tomaſzowſki.
Joſephus Skurewicz.
Joannes Łaſzewſki.
Joannes Siemionowicz.
Gregorius Zmijowſki.
Thomas Połian.
Joſephus Hurczyn.
Thadæus Sobolewſki.
Thomas Moniuſzko.
Alexander Łukowicz.

Equites Litvani.

Antonius Kimontt.
Joſephus Wildźiewicz.
Melchior Downar.
Thomas Wildźiewicz.
Joannes Staniulewicz.
Joannes Symonowicz.
Joannes Ciſzkowſki.
Leo Symonowicz.

Equites Litvani.

Staniſlaus Twerutowicz.
Thadæus Hagiell.
Bartholomæus Domanowſki.

Joan-

Joannes Kończewſki.
Joſephus Paſzkiewicz.
Gregorius Hałłuza.
Joannes Krupſki.
Paulus Fiałkowſki.
Thadæus Rzymſki.
Joſephus Wroblewſki.
Antonius Lachowicz.
Joſephus Kaſperowicz.
Joannes Jeleńſki.
Theodorus Medycki.
Joſephus Cięſzkowſki.
Ignatius Buhrymowicz.
Benedictus Szaſzkiewicz.

Rhetores in Academia Vilnenſi.